

197672

6iu

T1-534

1984

91

Fashions

128 mts.

17 wgs.

29 + 6 + 2

248

NOVA DACIA

Sive

PRINCIPATUS TRANSILVANIÆ PARS QUINTA.

HONORIBUS

Illusterrimi ac Magnif. Dom. Dom. Comitis

ANTONII
KORNIS

L. B. de Góncz - Ruzka

Sacræ Regiæ Hungaricæ & Bohemi-
cæ Majestatis Actualis Camerarii & Con-
siliarii Gubernialis ac per Transilvaniam,
Partesque eidem annexas Supremi
Comissarii Provincialis &c. &c.

Dum In Alma ac Regio-Principali Soc. JESU
UNIVERSITATE CLAUDIOPOLITANA

Peril. ac Erud. DD. NICOLAUS SZEREDAI de Sz.
Háromság & FRANCISCUS ZAMBLER de Cserná-
ton è Conv. Nob. Theologiæ Polemicæ Auditores
Controv. Fidei publicè propugnarent

SUB

R. P. FRANCISCO FASCHING
è S. J. AA. LL. & Philosoph. Doctore ac
Theologiæ Polemicæ Professore

ORDINARIO.

Anno Temporis Novissimi M. DCC. XLIV.

Claudiop. Transilv. Typ. Acad. S. J. per Mich. Beeskereki

BIBLIOTECA „ASTRA“
SIBIU

367032

240

*Justitia elevat Gentem: mi-
seros autem facit Popu-
los peccatum.* Proverb.

14. c. v. 34.

no*n*.



ILLUSTRISSIME DOM. DOM. COMES MECOENAS GRATIOSISSIME.



Loriabatur olim
Carolus IV. Imperator, Elogio Bo-
hemis à se dato, quod palam ac cre-
brò coram Imperii Ordinibus protu-
lit : Habere se in Bohemia Doctam
Nobilitatem. Tua Mecœnas Il-
§ 2 lustris-

Iustissime Gloria , quantumvis illa
multiplex , in eo tamen non immo-
dica sanè , dum in Præsidium Reli-
gionis ac Reip. Dacicæ , suâ Libera-
litate Literarum Studiosos fovere per-
gis , & quotannis in Scientiarum
Lycais Doctos promoveri facis : ut
non modò Doctam Nobilitatem ,
sed magnam etiam Daciæ partem
in Minervæ Regnum assurgere læti-
videamus . Boni igitur consule , quod
famulatrix Modestia Tuæ ista lau-
datio , priusquam ad reliqua Virtu-
tum Tuarum Ornamenta gradum
faciat , Te Illustrem ac Magnum in
propugnando Literarum Cultu , toti
Daciæ exhibeat . Et quoniam pro-
prio Eruditionis ac Sapientiæ Tuæ
Marte , Fideique Orthodoxæ Zelo ,
Appiam Tibi Honoris ac Glorie vi-
am complanasti , quam magnis pas-
sibus ingressus , Virtutum signasti
vestigiis ; quid mirum itaque ? si
in eo Dignitatum fastigio tantopere
effulgeas , in quo Te Regnantis
Principis ac Meritorum Tuorum suf-
fragia collocarunt . Rutilare profe-

ctò No-

Etò Nomen Tuum inter Atlantes Da-
ciæ debuerat, ut Lux, quæ ignem
Tuum sequitur, Te etiam extra
Patriam illustraret. Ut primùm e-
nim in plurium Principum Atris Ho-
spes illuxisti, ita ubique Ingenii,
Pietatis, Moderationis ac Modestia
Tuæ radii Te discreverunt: ut con-
tinuò Romani Principes, Ipsèque
summus Orbis & Urbis Pontifex:
Primi subindè in Austria Aulæ Re-
giæ Ministri: Proceres quoque Hun-
gariae, Te omni benevolentia &
Honore prosecuti sint; aggenitas in-
super præcelsæ Tuæ Indolis dotes,
& in his clarissimæ Kornisiōrum Do-
mînūs, Te veluti Fulcrum suspexe-
rint. Sed Neque immeritò ex Eru-
ditorum, ac veterum monumento-
rum sensu, Kornisios luxatis sylla-
bis, à Romanorum Corneliorum san-
guine Ortum suum habere existima-
verint. Quæ ut non ad gratiam
tantum dixisse videar, sed Veritate
stabiliam; Pace itaque Tuâ Mecœ-
nas Illustrissime, Aureâ Clavi Tuâ
utar, quæ Te Invictissima Regina

Hungariae exornavit, ut Gentilitiam Kornisianæ Prosapiæ Domum reserare, & Aviti Stemmatis Tui Ceras lustrare valeam. Novi enim quam aditu sis facilis, alloquio Comis, & velut ex Magnete compatus, dum summos juxta ac infimos in almorem Principis & Reip. emolummentum attrahis.

Subeo itaque Honorata Gentis Tuæ Atria, pando ære fusas Korniforum Valvas, dum pro foribus Domus Vestræ, stat ad limen Humanitas, & sacer ad ingressum invitat Honor. Video venerandam in Vestibulo Prosapiæ Vestræ Vetustatem, Titulos Dignitatum lego, Regii Senatus Capita & Militaria Trophæa circumspicio. Hinc Gentilius Vester Unicornis, quò olim Roma Patritios Cornelios decorarat, eburneâ horridus Cuspide, Kornisianæ robur Fortitudinis ostentat: pungit neminem, gladios tantummodo acuit & Consilia in hostes Republicæ; ut intaminatam Majorum Tuorum, erga Reges ac Cæsares, conte-

contestatam toties Fidem indicaret,
Et incorruptum Boni publici amorem
comprobaret. Illinc Progenitoris
Tui ac Avunculi, in oculos incur-
runt Statuae, STEPHANI & SI-
GISMUNDI, quos non ita pridem
ut Patriæ Patres, Magnos Mario-
philos, Et Meliores Regni Optima-
tes, à supremis Præfecturis celeber-
rimos coluimus.

Post tanta Nomina, jam ipsa Da-
ciae Numina semet aspectabilia obji-
ciunt, quorum illustria Facinora, se
in etatem Ausonii aut Pacati incur-
rissent, eorum Panegyricis insertos
legeremus. Primus harum Ditio-
num limites est ingressus, Gloriæ pa-
riter ac Vestri Nominis Dux, atque
intra Daciae fines, Primum Korni-
fianæ Lineæ Punctum, Caspar Korni-
fius, Supremus Marmaciæ Comes
Et Præsidii Huszt Præfetus. Heros
acerrimus, Et cum Marcello, GLA-
DIUS REIPUBLICÆ. Qui sub
Sigismundo Bathorio Summus Copia-
rum Dux, Turcas ac Tartaros sa-
pius quidem, sed ad Temesvarium

memorabili clade protrivit : Exilia
et Vincula , ut fortem Virum de-
cuit , à Perfidis toleravit , atque ut
Rudolpho Cæsari ac Regi Fidem , et
in Fide magnam Transilvaniae par-
tem cum Valachia servaret , cæso
subinde à Valachis Andrea Batho-
rio Cardinali , Cæsareus Locumte-
nens floruit , neque Austriacam ad-
versūs Domum Fidelitatem priùs
posuit , quàm antè Muricem , suo
in sanguine Vitam Trabeatam ex-
uisset.

Sed ne prolixior excrescat Oratio ,
pauca de Balthasare et duobus Si-
gismundis , Kornisiæ Gentis He-
roibus , ac Dacicarum Copiarum
summis Ducibus memorabo , quo-
rum gloriam Svada Istvanii dudum
celebravit . Nemo hactenus Majo-
rem in Transilvania vidit Terna-
rium . Omnes hi Magni , omnes
Castra , et belli robur . Omnes in
Armis et Equis nati , vix non Cen-
tauri ; sed verius Castrioti , quia
Manum priùs habere noluerunt ,
quàm Gladium . Balthasar Tritavus

Tuus

Tuus, cæsâ sæpius Barbarorum multitudine, Fronte & Ense laureatus, adeò conatibus Moysis Siculi obstitit, ut nullus Aries bellicus, vi tantâ Mosaici latera Exercitus quateret, quàm Unicornis Kornisianus. Sigismundus deinde, Balthasaris Frater, quem non Tyria lana, sed Caput & Senator Animus, Patriæ Consulem fecit, Martiam Bellonæ induitus Togam, Caduceo instructus Mercurium sæpè prævolans, eas Legatus ad Cæsarem, Patriæ, vicinorumque Regnum curas in Aulis confecit: ut pretiosos illius sudores, Romanorum Imperator & Rex & Ordines Hungariæ, Signatoria veluti Gemmâ Coronârint: dum Elegibus Regni, Articulo 19nō Anni 1608vi aureo tanquam annulo, Pacis Fecialem Kornisium inseruerunt. Sigismundus alter, fulmineus ille Daciae Gradivus, Hercules Hungaricus, nunquam lætiores Daco Principi lituos canere auditus, quàm dum ad Szalontam, lunatam ex Lerna Asie Hydram, usque adeò

profligavit, & Campos, Turcico
cruore tinxit; ut tota in gaudiis na-
tare visa sit Transilvania. Sed hæc
fusius Honor, in Kornisianæ Do-
mus Fastos dudum retulit.

Hæret jam in arena animus, &
Oratoris Facundia langvet, dum
tempus profari monet, de altero Bal-
thasare Kornisio, illustri illo Or-
thodoxæ Fidei & Reip. in Dacia sy-
dere, quod in Jovis usque cœlum
Historia extulit. O tristia Fata &
acerbas ætatis illius vices! quâ In-
clytus Togâ, & Sagô Heros, pro
Æquitate, Legibus, & Avita Reli-
gione, sub Gabriele Bathorio infau-
sto Principe, Vite integer, sceleris-
que purus, in vincula & Mortem
ultra ruit: ut suæ Prosapiæ, imò
Religionî auream servaret Libertati-
tem! Tantum scilicet in frigido et
iam Senio, Kornisii calebat Animus
Pietate, ut pro Fide sanguinem mit-
tere oportuerit. Vesuvii utique mo-
re, nives in vertice, doctam caniti-
em Balthasaris intelligo, flammam
visceribus tulit, quâ Virtutum Cul-
tu &


tu & Veritatis causâ, in Trabeam exarserat. Ad insolitam tanti Viri necem, diriguit Honor, Ordines expalluerunt Daciae, & sola publicos inter luctus, cæcitati suæ applaudebat Tyrannis. At magnis pulchrum est Familiis, non stantes tantum in Curribus Æmilianos Orbi proponere; sed de Fortune etiam Rota descendentes Avunculos, flentemque Honorem, pio fastu Religioni ostentare. Utrumque hoc Decus est, utrumque Magnum; attamen Sol semper in Occasu major est, quam in Meridie.

Diutius Domi Tuæ Mecœnæs Illusterrime hæsimus, & Heroum perpetuæ Familiæ Tuæ Aciem, totam Majorum Tuorum Domum, imò Numinum Capitolium paucis recensui; ut multas adhuc Laureas, multos Murices, Heroas innumeros silentio præterirem: eò quod ad Te properaverim. Abiveram à Te tantillum, sed tanquam à Mari flumina, quæ undis aquæ, in Oceanum iterum revertuntur, Tuæque Dignitatis Alto illabuntur. Per vastum Kornifiani sanguinis

gvinis jactabar Mare ; Stabat tamen
Gentilitius Tuus Unicornis pro Pha-
ro, & Illustrissimi Honoris Tui Lu-
cem in omnium spargebat aures , o-
culos , Animum. Acus erat Magne-
tica calamus noster , Tu Mecoenas
Polare Sidus , ad quod vertebatur.
Stamus iam ergo in Portu, & in Flo-
ridam Honoris Tui exponimur. Na-
vi exscendimus attoniti , quia Tu, u-
no vestigio immane quantum ascendi-
sti ? si adhuc unum passum feceris ,
propè summum Daciæ Numen consi-
stes. Vale , ætates tantas Vive , ut
pulchrum Tui Senium, rerum à Te ge-
renderum Gloriâ, Domum Kornisiā
augeat , quam Majores Tui, tam ma-
gnoperè repleverunt , & in seris pe-
renna Kornisiis.

Ita vovet

Devinctissimus
idem qui suprà.



THESES
THEOLOGIÆ POLEMICÆ
D E
Ecclesia Christi in Ter-
ris Militante.

I

Ecclesia Christi Militans, est
Coetus Vocatorum sub Re-
gimine legitimi Pastoris, Vicarii
Christi in terris, usu Sacramen-
torum Christianam Fidem profiten-
tium. Unde tam Justi, quām
Injusti & reprobi, sunt vera mem-
bra Ecclesiæ, modò non habe-
ant peccatum infidelitatis.

I I.

Gentiles, Judæi, Turcæ, Hæ-
retici aperti, Apostatæ & Schis-
matici quā tales, non sunt mem-
bra Ecclesiæ Christi.

I I I

I I I.

Excommunicati, & per sententiam legitimi Pastoris declarati, similiter membra Ecclesiæ esse desinunt. Catechumeni, sunt actu membra Ecclesiæ Christi.

I V.

Vera Christi Ecclesia, quæ est unicè Romano-Catholica, semper fuit, & est visibilis ac conspicua Mundo. Insuper, est ipsa necessariò Perpetua; neque unquam deficere: sed neque in rebus Fidei & Decretis morum errare potest.

V.

Ecclesia Christi Romano-Catholica, ex notis suis est evidenter credibilis, quarum quatuor sunt præcipuae; nimirum: quod sit *Una*, unitate Doctrinæ Fidei: quod sit *Antiquissima*, hoc est: à Christo fundata, ab Apostolis propagata, & per continuam successionem usque modò conservata: quod sit *Sancta*, Sanctitate Doctrinæ & morum: quod sit *Catho-*

Catholica, hoc est: Universalis per totum Orbem diffusa. Extra Ecclesiam Christi, quæ est Catholica, nullus salvatur.

V I.

In Ecclesia Christi semper fuit Caput visibile. Christus Dominus post suam Resurrectionem Caput visibile in Ecclesia D. Petrum sibi substituit, cum Suprema Potestate in omnes Fideles.

V I. I.

Romani Pontifices in Primate Ecclesiæ sunt veri Successores Divi Petri, ac in terris Vicarii Christi Domini.

V I I. I.

Romanus Pontifex in rebus Fidei & Decretis Morum pro tota Ecclesia ex Cathedra definiens, tam in Concilio Generali, quam extra illud, est infallibilis.

I X.

Omne Concilium Generale legitime in Ecclesia congregatum, ob promissam à Christo Domino Ecclesiæ assistentiam Spiritus Sancti, in


Et i, in rebus fidei est infallibile.
Romani Pontificis auctoritas & Po-
testas, est supra Concilium Ge-
nerale.

X.

Romanus Pontifex etsi directè
non habeat Dominium tempora-
le totius Orbis Christiani : habet
tamen directè & jure Divino su-
premam Potestatem Spiritualem in
totam Christianitatem , ita , ut
Ecclesiasticas leges , totam Ec-
clesiam in conscientia obligantes
condere possit.

O. A. M. D. G.





NOVA DACIA

Ex

Probatis Scriptoribus Deprompta.

PARS QUINTA.

Nomina Principum ac Gubernatorum Transilvaniæ Eorumque gesta ex Ordine Referens.

§ I.

GABRIEL BATHORIUS TRANSILVANIÆ PRINCEPS OCCISUS.
ANDREAS GECZIUS REJECTUS.
GABRIEL BETLENIUS POTENTISSIMUS TRANSILVANORUM PRINCEPS.
CATHARINA BRANDenburgica BETLENII VIDUA EXAUTHORATA.
STEPHANUS BETLENIUS, GABRIELIS FRATER DETURBATUS.

A Nno MDCIII. Gabriel Bathorius postremus nobilissimæ Familiæ Hæres, & tanti nominis quod

A

Sto-

Stephanus Rex Poloniæ , magnopere illustravit , ejusdem lineæ maxima labes , ab avita Religione infeliciter degener : suscep̄tō mirâ aviditate , initio Veris Da- ciæ Imperiō , Consilia sua ac Curas non tam ad Remp. quām Fortunam suam muniendam advertit ; neglectō enim Rudolpho Cæfare , ac recens creato Hun-gariæ Rege Mathiâ secundo , missis ad Turcas Oratoribus , Stephano Betlenio , & Balthasare Kornisio , Sultani Clien-telam ambivit : quò nimirum proniùs , infeliciter auspicatum , infeliciùs perde-ret Magistratum . Affirmato enim sibi à Turca Principatu , pudendis sanè datis Constantinopoli legibus , se & Provin-ciales omnes Turcicis amplius vinculis implicuit , si largè remissum tributum excipias ; florere tamen sibi universa ac gestire videbatur Transilvania , eō vel maximè titulō , quod Cæsareum à se Imperium removisset . Ita multis et iam spina s̄apē grata est , ex qua specta-tur rota : sed neque vulnus præcogita-tur , quod infliget carpenda . Siculi fer-ventibus reliquis Provincialibus , pro suo quoque in Principem studio , Udvarhe-linum concurrunt , & inter cætera pro-missa , seu voluntate seu necessitate pro-pensi ,

pensi, Salinas Regii ab antiquo juris, potiore suffragio Principi restituunt. Bathorius in hac pace domestica, evigilâisse vius, tandem per Legatos, novo Hungariae Regi Mathiae, novam dignitatem gratulatur; officium quidem ad speciem præsttit, partes tamen boni Vicini nunquam adimplevit; resoluto enim in vitia Principe, primùm res civiles, gravi per eum procellâ concussæ, ut plurimū quidem, ob exercitam in Transilvanos Saxones Tyrannidem, & vim alienis illatam thoris: tūm verò & Religioni bellum indixit, ut Sacra fusiùs refert Dacia. Atque hanc ob causam suis domi exosus, foris autem Tartari instar metuendus, crebrò in vicinam Hungariam hostiliter procurrit, vastissimas illas terras semel, atque iterum percurrit, vicos incendit, haud pauca, abactis hominum pecorūmque spoliis, castella subegit; non enim aliud è locis toties direptis abradi poterat. Rex Mathias tot subditorum damnis irritatus, jubet Radulonem Transalpinæ Vajvodam, apertas illas injurias ulcisci; itaque cum Petrascone Moldavo, haud procul Coronâ, prædatrices Bathorii turmas ad interacionem delet; sed Sigismundus

quoque Forgachius Mathiæ Regis Dux, grave Bathorio malum portabat, quem alio itinere Thomas Bosnyakus & Nicolaus Forgachius cum aliquot cohortibus sequebantur, ut elatos Bathorii Spiritus reprimerent; sed has postremas copias, Perfidia Andreæ Nagy Hungariæ Hajdonum Seductoris, cùm perdidisset: haud arduum Bathorio visum est, auxiliaribus Turcarum Tartarorumque agminibus adiuto, Regium militem invadere, & in effusam fugam conjicere. Forgachius perditis impedimentis, dissipatōque milite, cum residua copiarum parte, per invias & præruptas alpes diu errans ad extremum per Moldaviæ & Poloniæ fines, ex fuga & inedia languens, Mensa Decembri ægerrimè in Hungariam evasit. Bathorius non sui, sed hostium hoc bello victor, in ea communilætitia, in præmium rei bene gestæ, Turcis & Tartaris populandam non tam objicit Transsilvaniam, quām dissimulavit; ex ea enim duodecim hominum millia in servitutem abacta sunt. Ad hæc novo æstu abreptus, cùm domi ab inope populo vestigalibus exhausto, nec quicquam ærario inferre posset, novas acturus prædas, rursus in Hungariam irruit; sed quūm

quum à Comitatensi Milite tertium repelleretur, ad sua tutanda reversus, post tot editos belli tumultus, pacem cum Mathia Rege sancit, quam anno MDCXI. ob signatam, non evulgatis conditionibus, Scriptor Transilvanus prodidit.

Verum haud diu, eō Pacis otio Transilvanis frui licuit; nova siquidem subito, vertente anno hujus saeculi duodecimo, exorta est factio, dolō Andreæ Nagy, qui coortis cum Bathorio similitibus, rebus suis diffidens ad Turcas profugerat, Daciæ dominatum affectare deprehensus, Herum in iras, rabiem, & ad repetendam quoquo modo ultionem inflammavit; misso itaque ad Achmetem Byzantium Legato Andrea Geczio, fidieli scilicet homine, auxilium exposcit, ut si oporteret, ejus vim vi repelleret. At Geczius versō stylō, apud fulgentem Portam, cùm multa de insolentia & Tyrannide Bathorii, de oppressa ab eodem Nobilitate, de direptis Urbibus Cibinio & Coronâ, de sublatis è medio etiam Equestris Ordinis Provincialibus, acriter percensuisset, Herum suum facilè reum peregit: séque Principem dici, oblatâ in mercedem Lippâ, Jenoâ, & Varadino, postulavit. Data

conditio plerisque Turcarum arrisit ; quoniam Geczius rei hujus pertractandæ , administrum Mahometem Passam accepit. Interea Bathorius , suorum perfidiam odoratus , ne Magistratu excidat, ad artes malè fultæ reconciliationis, primùm cum Andrea Nagy conversus , & mitigatis ad speciem odiis , amicitiam simulans , prælauto Andream convivio excipit , remotis subinde mensis , ad exercendam sonipedum velocitatem invitatas inter cærimonias , inopinatò , validè impactâ , ut erat viribus potens , Andreæ pectori clavâ , in humum agit præcipitem , suaque manu semi-temulentum crudeliter obtruncat. Sublato hoc hoste , atrocius deinde in bonos omnes , sed in primis in Catholicos sœviit , ipsam Crucem , commune Transilvanis cum Hungaris ad hæc usque tempora insigne , è Provinciali scuto exterminavit. Supererat nihilominus adhuc Geczius , marte vel arte in exitium præcipitandus ; Gabrielem itaque Betlenium cum muneribus Temesvarinum allegat , ne Turca Geczio suppetias iret : sed hic quoque legatus , insigni perfidiâ Hero illusit , & priu[m] spe omni Principatûs potiundi Geczium dejecit : toto deinde ingenio , ut erat

ut erat vaserrimo , hoc unicè egit , ut
 in odium Turcarum Bathorium vocaret ,
 & in primis quidem ejus Tyrannidem ,
 impotentiam ac libidinem , acerba deni-
 que Ordinum odia adeò elevavit : ut
 Principatu dimovendum , & malè per-
 dendum Turcis facilè persuaserit ; tum
 verò adhibitis obsequiis ac largitionibus ,
 iis planè Conditionibus , quibus Ge-
 czius , ope Skanderi Passæ ab Achmete ,
 cui se , suámque fidelem operam jureju-
 rando devinxerat , Transilvaniæ Princi-
 patum obtinuit : quem anno 1613. X.
 Calen. Octobris Provinciales , Principem
 salutarunt . Bathorius suorum perfidiâ
 Legatorum circumventus , aversos in-
 super à se Ordinum animos sentiens , re-
 licitâ incertis Dominis Provinciâ , Var-
 dinum velocibus equis abiit , brevi re-
 moto omni obice , ut opinabatur , in
 Dominatum redditurus . Jámque Nicola-
 us Abaffius , cum aliquot cohortibus ,
 in ejus auxilium adproperabat ; verùm
 ut quem semel calamitas quærit , facile
 invenit , atque ipsam apprehensam licet
 rursùs felicitatem , eripit : ita idem cum
 Bathorio peregit . Abaffius enim ipse ,
 cujus accessu Bathorii fortuna assurgere
 videbatur , eam mutabili voluntate &

nefario perfidiæ scelere , cum Andrea Geczio , Joanne Szilassio , Francisco Redajo , Georgio Ladanio , Wolfgango Kamutio , ac pluribus aliis in cædem Bathorii conjuratis præcipitavit. Cùm enim relaxandi animi causâ in campum tendebat Bathorius , instigante Deczio quodam Calvini Ministro , fœdæ Conjunctionis fautor , ex insidiis , in ipso suburbani vici aditu , plumbeâ glande , anno MDCXIII. die 27. 8bris interemptus est. Ut vixit , sic finiit. Cadaver de curru projectum , triduo ferè eodem loco , tristi rerum humanarum ludibrio ac spectaculo fuit. Subinde in Conditorio Majorum Ecsedini tumulatum est , relictò Principibus documentò , quos legere Ministros , aut quibus Regnorum negotia , suāmque Majestatem concredere debeant. Fuère , qui in partem hujus fascinoris Gabrielem Betlenium vocarent , & Bathorii Principis necem eidem attribuerent : fuère & alii , qui multis argumentis huic rumori fidem derogarent . Quid hac in re Romanus Imperator idemque Rex Hungariæ Ferdinandus II. senserit , Regiis suis literis , anno 1625. toti orbi his verbis publicum fecit : *Po-
stequam enim Gabriel Betlen Turcico exer-*
citu

citu instructus Transilvaniam invaserat, Dominumque suum, cui juratus erat, Gabrialem Bathorium possessione Transilvaniæ, deinde vitâ exturbârat, &c. En sœvæ illi ætati coævum testimonium, cui Patrius quoque scriptor suffragatur. Anno inse- quente familiares Bathorii, tanto tem- poris spatio irâ & impetu circumacti, ver- sâque in rabiem ultione, ut ultimam ju- sti furoris scenam peragerent, deprehen- sis Medgyesini cædis auctores, Ladani- um, Stephanum Zamboum, Szilassium Tokaini nuper Præfectum, è turri, in quam confugerant, egere præcipites, injectoque saxo malè perditos, pessimè perdiderunt. Et hæc aut parilis huic, toto ferè sæculo, per Transilvaniam clarioribus Familiis, moriendi erat statuta fatis necessitas: hic multorum funestus exitus, post abjectam Orthodoxæ Reli- gionis doctrinam, caducas unicè opes ac dignitates, per fas & nefas cæco im- petu ambientium.

Gabriel Betlenius nobili in Dacia loco natus, Patre Wolfgango, Matre Drusianâ Lazarianâ: Gabrielis subinde Ba- thorii famulatum secutus, ex hoc, ut Con- juratorum pœnas declinaret, in Turcia remansit, haud dissimulanter ad Princi-

patum Daciæ aspirans, ipsum Sultanum
 Adrianopoli convenit, Budensem aliōs-
 que Passas promissis ac largitionibus sibi
 demeruit, cūmque in spem certam Prin-
 cipatūs venisset, geminas arces, Lip-
 pam, Jenoam, Omnia, quæ Bathorius
 addixerat, se redditurum jurejurando
 adpromisit; imò fidem Turcis, dum vi-
 veret, chirographo suo testatam fecit.
 Sultanus tantis oneratus promissis, Be-
 tlenium in Clientelam recepit, atque ut
 meminimus, per Skanderem Passam pro
 more Sceptro honoratum, Ordinibus
 ad Tordam congregatis præsentavit, Prin-
 cipem Transilvaniæ dedit. Toto hoc, ac
 insequente anno, Sultani gratiam, cui
 acceptam unicè ferebat Dignitatem, re-
 bus omnibus antetulit; sed neque ab of-
 ficio discessit, ut moderati Principis no-
 men impleret, ac recentem adhuc for-
 tunam stabiliret. His ita firmatus arti-
 bus, editum à Sultano diploma accipit,
 in quo præter communes præteriorum
 annorum servitutis leges, ea singularis
 fuit, ut Achmetes & Betlenius, pacis
 ac belli tempore, officio sibi mutuè re-
 sponderent. Anno deinde MDCXV. in
 pactionem quandam pacis cum Germa-
 no Cæsare Mathia venit, vi cuius con-
 niven-

nivente Betlenio protrita Religio Catholica aliquantum Transilvaniæ ostensa est. Jesuitis enim Princeps ædes Monostorienses restituit, & beneficiis non diu duraturis auctos benignè habuit. Eadem facilitate insequentibus annis, Provincialibus æquum se præbuit, & nisi Betlenianæ artes fuerint, Achmeti speciosa planè verba, Hungaris omnem amicitiam & opem, suis literis admitebatur, ab omnibus omnino laudandus, si verbis fides constitisset. Eodem tempore secuturis malis, quæ fors animo Betlenius præceperat, Cometa prælussit, & visa est Mater, cujus ex utero infans vociferabatur: *Væ Vobis!* eandem, quod mirum fuit, infans communionem, adductâ matre in conspectum Betlenii, non sine horrore & metu adstantium, lamentabili voce ter repetivit. Et grande omnino Transilvaniæ malum impendebat, quod Thomas Farkassius Betlenii apud Turcas Nuncius, utique ab Hero suo perfidiam doctus, novo scelere parturiebat; is enim præter ea, quæ Betlenius addixerat, longè auctius tributum, si demoto Hero, in Principatum sublevetur, Turcis detulit: adjectis insuper trecentis Transilvanis pueris
annua-

annuatim Byzantium transmittendis. Tam atroci detectâ perfidiâ, Herus execrandi sceleris auctorem in ipso partu, elisâ laqueo gulâ offocavit.

Anno MDCXIX. Betlenius sancitam cum Mathia Cæsare pacem, cum Ferdinandō quoque novo Hungariæ Bohemiæ-que Rege, datâ utrinquè fide affirmat: Sultanum sibi offensum, ut placaret, arces Lippam, Jenoam, Aradum offert, repugnantibus earum Præfectis, expugnatas tradit; ut quo scelere Principatum inierat, eodem servaret. Arma deinde, quæ in perniciem Hungariæ comparaverat, iis se in subsidium Ferdinandi usurum comminiscitur; non ignorabat enim, gliscentes sub cinere seditiones æstuantium in atrox bellum accolaram Tibisci, quibus Jeroslaus quidam Zmeskalius Luthericola, facem admodum verat, atque ut in partes factiosorum, novi Evangelii propugnator Betlenius veniret, Acatholicis Hungariæ Nobilibus in turbido piscari solitis, facile se Ducem præbuit. Spretâ itaque repetiti foederis Religione, conflatóque opinione citius exercitu, cui Georgium Rakoczium cum dictatoria potestate præficerat, ferale bellum in Hungariam celerissime in-

mē infudit. Quacunque gradiebatur , ab effusis in occursum Factiosis , magnā lātitiā acceptus , immane quantum vi-
ris accrevit. Die 24. Auguſti ad plana
Tibisci conſedit. Senatus Caſſoviensis
Calvino devotus , Rakoczium longē ad-
huc absentem , missis nunciis , ut in a-
micam urbem ſuccederet , invitatum fa-
lutavit. Interea Georgius Szécsius &
Franciscus Redajus , Comes Comitatūs
Bihor , formidabili ſeditioſorum manu
ſtipati , diſſipatis Georgii Homonnai co-
hortibus , in prædia illius , & rem do-
mesticam , lautam illam ac prædivi-
tem hoſtiliter delapsi : Herō in Poloniā
elabente , omnia avarè ac barbarā cru-
delitate diripuerunt : Jaſzoviā eodem
impetu evaſtatā , in ejus Oppidi hoſpi-
tes , Agrienses Canonicos , nefando ſce-
lere quoſpiam trucidarunt , alios in vin-
cula conjeſtos , ſexcentis mulctatos in-
juriis , diu ſecum per Iudibrium rappa-
runt. Reliquam deinde viciniam perva-
gati , contra naturæ leges promiscuè ,
atque adeo barbarè in Catholicos defæ-
vierunt: ut nullus in hæc uſque tempo-
ra , tam horrificus Cometes ab Oriente ,
ſive quā à Turcia ſe ſe effudit , ſive
quā ex Transilvania graſſatus eſt , atro-
ciora

ciora mala & fœdiorem spurcitiem post se unquam traxerit. Ingens indè bonorum omnium trepidatio , fuga , Patriæ vasiitas , quam populatorius ille turbo , vi , cædibus , igne , rapinis , libidine immensum auxit. Funesta Botskai conjuratio , plerisque Betlenianâ tolerabilior vîla est. In hoc enim crudelitatis theatro , non aliæ aperiri scenæ visebantur , quām Templa diripi , expilari Monasteria , Virgines & Matronæ prostituti ; adde his , profanata sacra , blasphemias , eversa altaria : denique visi sunt passim , Viri Deo dicati , ludibriis attaminari , nudari , & in membris , quorum natura verecundiam indidit , fœde mutilari , semi-necésque relinqu. Totilæ ac Atilæ hi , non pecuniis , non spoliis , non vitâ vulneribûsque insontium satiati , ipsis cadaveribus illudebant. Ad hæc Cassoviæ coryphæis , Petro Alvinczio Calvinianorum Ministro , & Joanne Reinero Senatore Luthericolâ , odio Religionis in Catholicos efferatis , sævissima tempestas detonuit , in qua Hoffmannus vir Regi fidelis , ensibus impiorum consecutus : Doczius , Regius Urbis Præfectus , à Civibus sectariis comprehensus , è vestigio vestibus nudatus , ludibrió-

brioque habitus , ferro onustus Rakoczio traditur , mox Betlenii jussu in Transsilvaniam traductus , squalore Carceris & inediâ dirè maceratus necatur . Eadem altra tempestas Alvinczii & Reineri instigatu in Romanos Sacerdotes , Marcum Crisimum Strigonensem Canonicum tum Stephanum Pongraczium & Melchiorem Grodeczium S. J. Alumnos , atrocius desæviit ; hos enim direptâ sacrâ supellestile , ut de Constantia Catholicae Religionis dejicerent , diu ad defectionem solicitabant ; demùm triduô fame mace-rârunt , & post inficta Verbera , fidiculas , admotosque ignes , dirè excruciatos , ut in leges quoque verecundiæ injurii essent , membris iis , ferâ rabie truncatis , spirantem adhuc Pongraczium , cum sociorum cadaveribus in latrinam demergunt . Corrigendus hic venit Paulus Han Niremberganus , qui pro duobus , octonos cecinit Jesuitas trucidatos ; ne alias octoginta canat . Peractâ Tragediâ , Betlenius ingenti Civium jubilo Cassoviam die 11. Septembris subiit , coactis Comitiis , ipse sua in causa Judex , bellum tot sacrilegiis contaminatum , æquum esse edixit : multis pro libidine , Dei & Regni legibus , adversantibus decreatis ,

cretis , factionem suam firmare laboravit Rakoczio deinde constituto plagæ illius Præfecto , Ipse in reliquas Hungariæ regiones exercitum promovit : Galgoczii à Legatis Bohemiæ & Moraviæ salutatus , levatis quadraginta florenūm millibus in stipendia militum , Franciscum Redajum cum equitatu octo millium , Cæsaris Rebellibus , auxilio submisit : Ipse , sparso latiùs terrore , Tyrnaviam ingressus , post bīdū moram , Posonium appropereavit . Urbs hæc Hungaris celebrior , quām fortior ; Civibus tunc ut animo à vera Religione alienis , ita intus & in cute Betlenianis , plurimūm in acceptis habuit , quod Viennâ submissam saluti Urbis ac Arcis , Teiffenbachii legionem , ab ipsis repudiatam , intra suburbanas ædes deleverit , ac decima octavâ Octobris , Sigismundo Forgachio Regni Palatino & Petro Revajo sacræ Coronæ Custode , minis ac terrore fractis , Sacram Coronam cum arce in potestatem suam redegerit . Ita succendentibus ex voto rebus , Betlenius Posonii senatorias curas aggressus , varias in Consilium molitiones attulit , præcipua fuit , quā arte Nicolaus Eszterhazius Regi suo subtrahi possit ? vir fortis & Patriæ in paucis

cis fidus , cuncta invitamenta elusit, censuitque cum sapientibus : melius esse sapere , quam habere. Quò cætera Comitii illius Posoniensis consilia resplexerint , tempus prodidit; nam pons celeriter Danubio injectus , exercitus in alteram ripam traductus , Magistratus urbi- ci exauthoratis Catholicis instaurati , Templa Sacerdotum in Urbibus ac Oppidis eâlege Acatholicis adjudicata sunt; quia numero potiores essent. Hamus hic omni hactenùs factioni usitatissimus, quò populares in societatem seditionis- rum armorum , nunquam trahi poten- tiùs visi sunt Hamo hoc Religionis , Transilvania dudum capta , toties ceci- dit quoties suos vedit cadentes.

Interea Dampierius è Moraviæ finibus in insulam Danubii eluctatus , oblata ne elaberetur occasio , contractis Cohortibus in Betlenianos ad Kópcsinium sui securos inopinatò invehitur , mille & sexcentis cæsis , eorumque ductore Ste- phano Bako intersecto , reliquos dissipat , & illatam nuper Teiffenbachianis cladem , hostibus restituit. Per idem tempus Georgius Homonnajus , à Redajo nuper ad Cassoviam , deserere Pa- triam adactus , impetratâ à Sigismundo

Rege validâ Polonorum ac Cosacorum manu, in Aba-Ujvariensem Comitatum silentio suspensisque passibus irruptit, & ne sua vineta cæderet, eos unicè, qui extrema nuper in Catholicos ausi fuerant, severè exagitavit. Rakoczium tumultu hoc excitatum, & in pugnam ruentem, fortiter exceptit, resumptisque postero die animis, conjecto in fugam hoste, quinque rebellum millibus trucidatis, acceptum dedecus vindicavit, séque cum præda in Poloniā recepit. Betlenius auditâ Rakoczii clade, Szécsium in superiorem Hungariam, cum expedita manu festinare jussit; ipse socia arma cum Bohemis jungit, Austriam ingressus populatur, Petronellæ Castro igne funditus deleto, haud procul Vienâ consedit. In expeditione hac vide re fuit milites, qui de rapinis Temporum, sacris patenis, & fragmentis calicum, veluti bullis, de more gentis e quorum dorsa, suaque pectora exornârunt. Triduo toto inimicus exercitus pugnæ copiam expectabat, quam Buc quojus & Dampierius periclitari consultò recusarunt, Militem inter muros & aquas continebant. Et quoniam Vien na ad defensionem se comparaverat,

Betle-

Betlenium quoque multa ab ejus obſi-
dione avocabant. Itaque in Hungariam
refusus, Sopronii suburbana mōdicā vi
adhibitā, militi spolium fecit: Urbem
trigesimo die Novembris amicē ingre-
fus, ab Acatholico cive omnibus offi-
ciis honoratus, paucis post diebus Po-
ſonium revertit. In celebri hac Urbe
Julajum Begum, Turcicum Nuncium,
ſpes magnas & promissa ferentem, læ-
tus excipit; & quamvis ſupra fortunam
elatus videretur, ut metu exoneraret a-
nimū, quem Polonia incuſſerat, ad
moderationem descendit, oblatas à Fer-
dinando Rege novem mēſium inducias
lubens admisit. Eſt, qui rei hujus cau-
ſam prodiſit, nimirum: quò faciliùs Re-
gis animo nebulas offunderet, & vires
per inducias reficeret. Inter hæc Bet-
lenius, aperto jam anno MDCXX. Prin-
ceps Hungariæ, connivente Ferdinand-
do, Poſonii ſalutatur, tantā nominis
acceſſione clarus, Cæſareos Oratores,
Hungariæ, Böhmiæ, Moraviæ Lega-
tos, tum Turcicum Nuncium regiā ma-
gnificentia excepit, & certantibus Mi-
litum ac Civium ſtudiis, Urbem totam
exhilaravit. Altero die famigeratum il-
lud, Hungarorum cum Bohemis, Mo-

ravis, aliisque gentibus fœdus, confe-
ctum est, quod vocem Jacobi, manus
Elavi habuit. Ut ægrè conceptum, ita
in partu exspiravit; quia à nullo pacificen-
tium subscriptum fuit. Eodem mense
Betlenius in superiorem Hungariam re-
gressus, vulneratis induciis propriâ au-
thoritate Comitia Regni Neosolium in-
dixit, quibus Rex non intercessit, cùm
ejus rationibus nihil opportuniùs fieri
potuerit. Maturo iam Vere maxima Le-
gatorum frequentia, è Bohemia, Au-
stria, Moravia, Lusatia, Polonia, Tur-
cia, præsentibus Hungariae & Transilva-
niæ pro more frequentissimis Ordinibus,
aperta sunt: quietem tot gentibus da-
tura credebantur, quam boni omnes a-
vidè expectabant; nisi in ipso limine,
iniquis Acatholici postulatis ejus nego-
tium ferè evertissent; sed Fœderati quo-
que, plerique Acatholici, sub idem Co-
mitiorum tempus Legatione, muneri-
búsque Turcam in Societatem armorum
solicitabant, ut belli verius, quam pa-
cis negotium agi videretur. Levitas
ad hæc multorum & arrogantia, pro pa-
cis negotio habuit, in fiduciariis Regio-
rum Oratorum literis, omni ferè vocu-
læ insidiari, publicam fidem in dubium
voca-

vocare, nomen *Vasalli*, quō compellati à Rege suere Ordines, pro convitio habere. Quibus offenditionibus, cæterisque Comitiorum ambagibus, frustratâ concordiaë expectatione, & desperatâ pace, Cæsarei Legati & Poloni Comitiis excessere, séque in viam dederunt.

Ita turbatis Comitiis, Aula Betlenii ludis interea ac conviviis perstrepuit, In communi subinde confessu, de re promovenda publica, veterique restauranda Hungariæ felicitate, Procerum aliqui eruditis sententiis disceptarunt, quas publici juris fieri fortè tempus dabit. Delphici instar oraculi, Stephani Török Transilvani, Comitis Hunyadiensis oratio, quæ velut in disco occulta hucusque consilia, palam proposuit, à plerisque cum plausu excepta fuit. Eā enim nonnulli inflammati, desultoriâ levitate, erectoque supercilio insolentiū aduersus Ferdinandum Regem detonabant: istò denique Vento, reductæ sunt in Comitia nubes, quibus plurium animi ac lingvæ, velut fremens à turbine Oceanus despumabant, & sperata Regni Alcyonia, in exitium Patriæ desiere. Quō itaque eventu, dira Consilia finem

acceperint , rem utpote à rebus nostris alienam , juvat breviter percurere , quod citius in Transilvaniam revertamur. Betlenius , discessu Cæsarî & Poloniæ Orationum , ab observantia Regis abjunctos esse ordines intelligens , dissimulanter egit , ut ab arbitris suorum Consiliorum , exemplo Pragensium in refragaturos pœna mortis publicata fuerit ; tum verò adnitente Turcico Nuncio , veluti jam à fide solutis , tumultuariâ acclamatione Rex Hungariæ , die 25. Aug. renunciatus ac proclamatus est. Non piget hic meminisse , ut hoc ipso tempore , primarius Betlenii Rituum Minister , multis apud Principem verbis institerit , ut è vestigio diem Inaugurationis publicaret , & Regni Coronâ , quæ præ manibus esset , caput incingi juberet. Cui Betlenius : frustra agis : Strigonensi enim Archi-Episcopo caremus ; huic enim Reges Hung : Coronare competit. Mox subjecit Minister. Me igitur Strigon. Archi-Episcopum nominet , & coronabo Regem. Subrisit Betlenius cum dicto : nequaquam id fieri expedit ; quia totus Mundus diceret : qualis Archi-Episcopus , talis Rex. Sed in Senatum revertamur. Latis deinde legibus , quæ retro

tro omnium Regum decretis adversabantur, Ordines postridie, totum Comitiorum dedecus finierunt; Clero & Proceribus nihilominus præcipuis, Nicolao Eszterhazio, Georgio Zrinio, Thoma Nadasdio, Georgio Homonnajo, Erdödiis, Palfis, Boſnyako, &c. in Ferdinandi Regis fide persistentibus. Betlenius nondum evolutis, imò violatis induciis, expugnatâ Nitriâ, Friderico Palatino duodecim Hungarorum millia subsidio mittit, quos diverso itinere Franciscus Redajus, Comes Comitatûs Bihor, Joannes Bornemisza & Simon Pecsius ductabant. Immissis ad hæc in Trans - Danubianam Hungariam prædaticibus copiis, quæ Ductore Gabriele Hallero & Petro Fekete, plagam illam viris pugnacibus ac factiosis feracem Jaurino & Comorâ demptis, ultra Simegium & Wesprimium, nullo propè periculo, Regi Ferdinando detraxerunt; Betlenius verò tota mole exercitûs in Austriam trajecit; Hamburgum machinarum ictibus, & repetito assaultu pressit, Civibus fortiter repugnantibus, cùm acriter instaret, ex nuncio accipit: Cæsum à Dampierio Mathiam Faradium apud Lakompachiam arcem, cùm octingentis

gentis & amplius peditibus , dissipatos
 esse equites , impedimenta amissa : cla-
 de hac magnoperè confusus , desertâ
 extemplò obsidione , dolorem suum, in
 pagis & oppidis , Ginsium usque igni
 crematis lenivit. Interea Dampierius
 Victor , rectâ Posonium contendit , ut
 urbem Regi suo armis assereret , jámque
 arcis situm proprius explorabat , cùm
 Dux fortissimus destinato iectu exanima-
 tur. Morte sua cladem suorum cumu-
 lavit , Betlenianis spiritus addidit , qui
 minoribus ad Posonium præliis gloriam
 Polonorum obscurârunt , & ad Prukum
 Stephano Petnehazio arma circumfe-
 rente , populationes ac incendia latè
 propagârunt. Passa , quoque Budensis ,
 factiosorum dissimulatione an instinctu?
 Vacuum Hungaris eripuit. Jamque a-
 trociora patraturi erant , nisi res Bohe-
 morum unius horæ sinistri prælia even-
 tu , ad Pragam , uno veluti iectu succi-
 fæ , spe suâ excidissent. Betlenius in
 ipso populationis æstu , de Fœderato-
 rum clade edoctus , eò curas anxius in-
 tendit , ut sacram Coronam Posonio Ve-
 terosolum transferri fecerit. Franciscus
 Battyanius , qui ut sua servaret , non ita
 pridem amittere fidem maluit , & Fa-
 ctiosis

Etiosis accedere: capto proditione Gino-
 sio , ejusque loci Præfecto , Christopho-
 ro Hagymassio , Betlenii cogitationes
 aliquantum levavit , quas Ferdinandus
 Rex secundis auctior rebus , publica in-
 super expostulatione asperavit ; graves
 in ea injuriæ , toties à Betlenio Deo ,
 Religioni , Regi , Legibus , totque Pro-
 vinciis ac Nationibus , repetitâ perfidiâ
 illatæ legebantur : Ordines Hungariæ ,
 ut ad officium redirent , cohortati revo-
 cabantur . Initio anni MDCXXI . Con-
 gressus pacis Hamburgi in Austria insti-
 tuitur ; sed nullo meliore eventu , ac
 Novisoliensia Consilia , exactus est : im-
 modica enim grassantium pro libidine
 factiosorum postulata , neque cum digni-
 tate Cæsar is , neque cum æquitate satis
 conveniebant . Itaque abruptis consul-
 tationibus , & responsis in suspenso re-
 lictis , Bucquojus Cæsar is Dux , è Mo-
 ravia in conterminam Hungariam sævi-
 ente adhuc hyeme imminens , cum ro-
 bore legionum , Szakolczam ingreditur .
 Stanislaum Turzonem , plagæ illi præ-
 positum , solo Germanorum adventu ex-
 territum fugat . In locum illius suffe-
 ctus Stephanus Horvatus à prompta ad
 rapinas & populationes manu celebris ,

Bucquojo crebriùs negotium faceſſivit , subinde improviso occurſu in ejus cohortes impactus , æſtu tam incitato prælium excepit , ut plurimos neci dederit , victorque ex arena excesserit . Per Moraviam deinde & adjacentem Austriaſ veluti procella ſævè graſſatus , centum & ampliùs pagos ac oppida , rapinis & ignibus evaſtavit : multa Austriaſorum millia , fœdo quæſtu barbaris vendenda , populari illo torrente in ſervitutem abripiuit.

Betlenius nefariis Horvathī progressibus recreatus , præcipitum quoddam ab ipſa Fortuna accepit ; missis Tartarorum Chamo literis , quibus Barbaro de Polonis victoriam gratulabatur , ipsūmque magnis promiſſionibus ad agendas prædas in Hungariam invitabat ; intercepto ab Hungariæ Proceribus emissario unà cum literis , multos à ſe alienavit , ad meliora conſilia impulit . Neque arduum Proceribus fuit , tædio malorum jam ſatiatis , & Betlenii molitionibus penitiùs inspectis , partes Ferdinandi respicere , ſuóqne Regi reconciliari . Ex his primarii numerabantur : Sigismundus Forgachius Regni Palatinus Georgius Baro Szécsius Dux Copiarum , Sigif-

Sigismundus Balassa Vag-Besztercensis
 arcis Dominus, Sigismundus Megyerius,
 & plures alii, qui palam exutâ perfidiâ,
 gratiæ Ferdinandi feliciter redditi, Bet-
 lenium Turcica Tartaricâque præstolan-
 tem examina, non modicâ plagâ affe-
 runt. Betlenius his demutationibus
 metûque perculsus, è Veterosoliensi
 arce Sacram Coronam primùm Cassovi-
 am, tum in Etsedium Castrum transtu-
 lit, & desertâ Tyrnaviâ in superiorem
 Hungariam excessit. Vulgatâ Betlenii
 secessione, Bucquojus educto in cam-
 pum milite Diviniensem arcem, Poso-
 nium, Nitriam, aliâque minora loca
 partim vi, partim ditione Regi asserit.
 Porro in trans-Danubiana Hungaria Col-
 lalto & Nicolao Eszterhazio, Cæfareis
 Ducibus, Battyanius sæpiùs fortiter re-
 stitit, secundisque velitationibus Regi-
 as copias imminuit: Consociatis subin-
 de Turcarum armis, pervagatâ Austriâ,
 tractis in servitutem incolis, eam Re-
 gionem sævis incendiis deformavit. Buc-
 quojus in altera Danubii ora, ut hosti-
 bus vicem redderet, Ujvarinum obse-
 dit, cùmque erumpentium ex arce im-
 petum inhibere contendit, lanceâ con-
 fossus occumbit. Si Ducem non mili-
 tem

tem egisset, fortunam exercitū suāmque gloriam non præcipitāset. Et quoniam ad jacturam Ducis, miles torpuit, amissis majoribus machinis viginti quinque, multōque apparatu bellico, se ab obsidione, multiplicato detimento, in Insulam Csalokdziam ægrè recepit. Interea Betlenius ad Eperjesiensia Comitia recurrerat, quorum edicto multi excitati, subito ad arma convolārunt: congregato exercitu expeditionem in inferiorem rursum Hungariam maturavit, accitōque ex Moravia Jagerndorffio, in agrum usque Posoniensem eluctatus, urbem eductis agrestibus incinxit; cùmque obsidionalibus machinis, ignibus missilibus, cæterisque telis mortiferis, obsessos ad deditiōnem acriter urgeret, neque procul à Victoria abesset, tormentarii pulvris defectu, sublatis castris obsidionem solvit; Franciscum Battyanum Sopronensis Comitatūs Comitem, Turcarum accessione ferociorem, Austriae immisit: ipse per albos montes iter Szakolczam deflexit, quâ sine impendio acceptâ, vicinam Moraviam exterruit; cùm utramque Provinciam à tot cladibus omni comeatu exhaustam reperisset, ab injuriis manus abstinuit, & revocatis cum militi-

te Ducibus, in Hungariam revertit. Pro-
no jam in hyemem Autumno, ut æmu-
latrices partes, res suas stabilirent, va-
riæ per intervalla pacificationis formu-
læ ab Arbitris productæ, demum finitis
altercationibus, anno jam evoluto, Ni-
clospurgi in Moravia, stipulatâ fide pax
coaluit. Ferdinandus ut populis suis
eam diuturnam faceret, opulentis sanè
conditionibus Betlenio favit; cui adje-
cto Principis Imperii titulo, cum ditio-
ne Oppoliensi & Ratiborensi, septenos
Comitatus citra Tibiscum, ad dies vitæ
cessit. Is verò Sacram Coronam cum
Regiis insigniis restituit, alienum reddi-
dit, & electi Hungariæ Regis titulo ab-
stinuit. Cæteris ab Rege oblivio delicti
data est. Vulgatâ pace, primo Janua-
rii die, anno MDCXXII. Betlenius
septem Hungariæ Comitatuum accessio-
ne felicior, in Transilvaniam, à qua in-
tertium annum aberat, tot Provincia-
rum spoliis opibúsque auctus revertitur:
inter Provincialium tripudia Claudiopo-
lim ingressus, peractâ dierum illorum læ-
titia, Conventum Ordinum in eadem
Urbe celebravit. Consulta, quæ in de-
liberationem vocata fuere, ad Commu-
nem Provinciæ utilitatem referebantur.

Ædes

Ædes Catholicorum Academicorum Moy-
 sis Siculi furore , annos ante novemde-
 cim Claudiopoli demolitas , de publi-
 co ex mente Principis erigi , & aptari
 pro Pædagogio Reformatorum à Calvi-
 no , Ordines decreverunt ; Acatholico-
 rum enim injuriâ , dudum occulis aut
 eversis Orthodoxorum Lycæis , nobilior
 juventus extra Patriam , mores quærere
 & literas necessitabatur . Princeps or-
 dinatâ Transilvaniæ Republicâ , residu-
 um anni , quieti donâsse visus , Cæsari
 causa fuit , ut sui securus , à Dacia ma-
 lum Hungariæ importandum vix crede-
 ret ; anno tamen alterô , MDCXXIII .
 diditus de Betlenii & Turcarum abrupta
 fide rumor , curas ejus intendit . Plu-
 res post menses hostium molitiones huc
 evaserunt : ut impetratis malo menda-
 cio ab Amurathe novo Sultano octogin-
 ta Turcarum Tartarorûmque millibus ,
 tantâ Betlenius fiduciâ fretus , se è Da-
 cia cum legionibus continuò ejiceret ,
 censo ad Cassoviam milite , Barbarorûm-
 que subsidio auctior , celerrimè in exhau-
 stam inferiorem Hungariam penetrârit .
 Ingressus per otium Tyrnaviam , inde in
 attritam Moraviam cum Matthæo Co-
 mate Thurnio infusus , rursum cædibus ,
 rapi-

rapinis , & in miseram servitutem abdu-
 ctionibus eam plagam affixit. Ruentes
 in extremam Christianitatis perniciem ,
 tot prædatorios exercitus , Cæsar is Dux
 Hieronymus Caraffa ad Gedingam flu-
 mini Moravæ adjacentem , tantisper re-
 tinuit : sed aversus tunc ab Hungaris
 Moravisque Deus , breve fecit solatium.
 Hostis tantâ multitudine fretus , Cæsa-
 reum militem numero longè inferiorem,
 castris incinxit , toto mente oppidum
 commeatu prohibitum , plus inediâ , quâm
 ferro oppugnavit. Barbari avaritiâ inci-
 tati , totam Regionem trepidatione con-
 cussam , interea incendiis , cædibus re-
 plent: remotiora oppida & pagos in ef-
 fusam fugam conjiciunt , quotquot in
 manus venere , vinculis impeditos se-
 cum in Castra traxerunt. Miles obse-
 sus equinam nondum perosus , cui fa-
 mes pro generositate , & dura necessi-
 tas pro victoria supererat , obsidentium
 ferociam lentè consumpsit. Betlenius à
 desperatis victoriam obtinere desperans ,
 inducias sub quibusdam pactis Palatino
 Regni obtrusit ; petitorum impudenti-
 am Cæsar ut vidit , rejicit: pro dignita-
 te durioribus respondit : exercitum qua-
 draginta millium armatorum , in Bohe-
 mia ,

mia, Silesia, Austria & Bavaria coactum, conditiones allaturum. Tam insperato responsu offensus, Autumno jam pluviis & frigore increbrescente, adhac Turcis ac Tartaris amicum Turciæ solum respectantibus, & invito Principe abeuntibus, Ipse collectis vasis Tyrnaviam repetiit. Eodem tempore Nicolaus Elzterhazius Ujvarini Praefectus, observato Barbarorum itinere, ad Nitriam flumen in praedones reduces, Turcas ac Tartaros fortiter invectus, trino prælio ferè ad unum omnes delevit. Christianorum duo millia quingentos in mancipatum præparatos, Christianus Hercules in libertatem asserit. Ea victoriâ animatus, tribus Nitria leucis, novo ingenio in hostiles cohortes impactus, iis fugatis ac fusis, centum & amplius currus, annona, supellectili, pecuniis oneratos, intercipit & Ujvarinum intert. His irritatus cladibus Betlenius, anno jam matu^{ro} MDCXXIV. in Moraviam usque Sacrilego rursum agmine, flexo impetu grassatur, maestatis ex parte aliqua, Teiffenbachii copiis, plura mortalium milia in lanienam & servitutem destinabat. Interea Ferdinandi Legatus, Byzantii detecta ejus imposturâ, eò tempore, quod illata

illata ab Eszterhazio Turcis clades, magna Daco Principi invidiam conflare; imò etiam exoperatus est, ut reliqua Amurathes subsidia revocârit, ac fœdus cum Cælare in plures annos prorogârit. Betlenius Turcicis exutus auxiliis, rursus pacem, postulavit, ut eam iterum ac quartò ingenti Provinciarum convulsione rumperet; neque eam Ferdinandus tœdio belli abnuit, si is Hungaria & Regis titulo abstineret, captivos & ablata redderet, arce Etsediâ jure perpetuo in Betlenium transcriptâ. Pacta in tabulas relata sunt, quæ Amurathes Betlenio flagitante ratihabuit, & Legatis Stephano Betlenio & Stephano Erdelio varia in commodum Transilvaniæ postulantibus, largè subscripsit.

Anno MDCXXV. Cùm à Fœderatis Principibus Acatholicis in causa Friderici Palatini Rheni, dignitate Electoris exuti, atrox Catholicis bellum imminaret; Ferdinandus Stephanum Senycjum Regni Hungariæ Cancellarium Vacensem Præfulem, cum muneribus Cæsarî munificentiam æquantibus, ad Dacum Principem ablegavit, ut illius in conservanda pace benevolentiam deliniret. Princeps excuto honoribus Cæsarî Le-

gato, omnem securitatem repetito s^epius
juramento affirmavit; subinde in Comi-
tiis Soproniensibus, idem propensionis
studium per legatos suos declaravit. Sed
hac^e vasri hominis, totiesque vulpinan-
tis verba erant; cui quodvis acceptum
beneficium, levius plumâ visum est,
dum blandiens occasio semet obtulit.
Sequentis anni MDCXXVI. initio, die
22. Februarii, Princeps Betlenius cele-
bratis Cassoviæ nuptiarum solenniis cum
Catharina Joannis Sigismundi Septemvi-
ri Brandenburgici Sorore, tantique con-
jugio honoratus, Cæsaris amicus ac pe-
nè Affinis dictus, animo elatus, & in-
veteratâ inconstantiâ Hungariæ quietem
turbare assuetus, juratam toties pacem
non diu coluit; dum enim per Germa-
niam excitato ab Acatholicis Principi-
bus, formidabili involutum bello Ferdi-
nandum cernit: evocatis è Turcica Bu-
da barbaris, indè è Silesia excito festina-
tis itineribus in Trenchiniensem tractum
Mansfeldio ac Vinariensi, cum quin-
decim armatorum millibus, quos post ac-
ceptam ad Dessaviam à Wallensteinio cla-
dem collegerant: ipse demum à Tran-
silvania subitus veluti turbo in Hungari-
am effusus, ad Ujvarinum in ea planicie
Turci.

Turcicis sociatus copiis , pene intra i-
dum à Cæsareis Castris constitit. Dux
Wallensteinius Cæsareo exercitui præ-
erat , censa sunt universim sex supra Se-
xaginta armatorum millia Ad hæc Eſz-
terhazius Palatinus Hungaricas : Zrini-
us Banus Illyricas cohortes adduxerant.
Hostis viso tam metuendo exercitu , a-
quam se ingressum , non explorato priùs
vado advertit ; atque ut vicino fato ex-
palleſcimus , ita exterrita vulpes , quid
agat? consilium à metu accipit , ad do-
los convertitur. Unicè pacis causa &
periclitantis studio Patriæ se huc descen-
diſſe per internuncios Wallensteinio hac
arte imposuit , & priusquam in sermonem
venisset , condictis bidui induciis , se-
cundâ noctis vigiliâ cum Turcis fugâ e-
rupit , evasit. Ducem militari labe a-
ſpersum ludificavit. Interea , dum ad-
ventantia Tartarorum auxilia ardentius
exspectat , proximè Strigonium cum Turcis
minutiores arcis capit , tandemque Neo-
gradum obſidet , sed prædones illos For-
tuna à longè ostendit , non dedit ; to-
tam eam colluviem , Dux Chimelekovs-
kius à Sigismundo Poloniæ Rege occur-
rere jussus , mirâ planè ingenii arte ,
quæ niſi iſſet in Historiam , Poëſis cre-

dita erat, letho dedit. Cùm enim triginta quatuor millia Tartarorum relictis sex millibus in castris, totâ Volhiniâ prædas agunt: Poloni vallo ferociter superato, trucidatisque omnibus, in eo Tartarorum vallo iisdem Castris se continent, cuncta Tartarico more, belli munia obeunt; reliqui interim Tartari, rei actæ ignari, turmatim divisi, spoliis graves revertuntur, & primam primo die vallum ingressam turmam: mox aliis diebus, cæteras in Castra admissas, velut indagine clausas, interpolatis vicibus trucidant, totamque illam illuviem carpitum fusam internecione delent. Et hæc est illa famigerata Polonorum vindemia, Mense Octobri, anno supra relato, de Tartarico sanguine facta. Tam funesta Sociorum clade externatus Betlenius, à Wallensteinio mense Novembri Neogrado submotus, ac fractus est. Prælio hoc ex Janiczeris, & Transilvanis cæsa sunt quatuor millia, bellicæ machinæ captæ, sarcinæ cum papilionibus direptæ. Pœnituit Turcam alieno se miscuisse bello, & firmam cum Cæsare pacem præoptavit, quam insequente anno, Cæsar secundis successibus latior, Pragæ Amurathi per legatos oranti indulxit. Betlenius

nus in inferam delatus Hungariam, undique infestus, ascito sibi Mansfeldio ad Levam castra metatus, re infectâ, ob enata Ducum dissidia, prono jam in hyemem Autumno, in Tibiscanas plagas ad hiberna descendit. Vallensteinius quoque in Moraviam ac Silesiam cum exercitu, morbis ac peste apud Tyrnaviam immunito, nondum compositâ pace cum Daco Principe, consilii adhuc incerto, lente progressus, Hungariâ demum excessit.

Pacatis tanti per Hungariæ rebus Bellenius Cassoviam incoluit, quam sui veluti Principatûs sedem fecerat; plagâ enim illâ præstantium rerum abundantia florente, mirè delectatus, ab exquisita præsertim Meri dulcedine captus, suæ Daciæ ferè oblitus; in alterum annum inter hilaria & conviviorum splendores commoratus, haud modicè valetudinem læsit. Porro cùm spes suas à clade Tartarorum cecidisse sensit, in ea urbe ad quietem respectavit. Pacem itaque per Legatos admaturatam, Munkacsensi Dominio ad cæteros Comitatus adjecto acquiescens, cum Ferdinando confecit. Iterum, iterumque bellum moturus, nisi mors prævenisset. Mensibus ferè undecim diro Hydrope conflictatus, spe

quadam erectus in Patriam se deportari fecit; Albam Julianam delatus, accedente, quem vocant, sacro igne, mori se sentiens, Calvinianis ritibus procuratus, die XV. Novembris, ætatis suæ anno XLIX. fessam ambitione animam exhala-
vit, Anno MDCXXIX. Florus Germanicus subdit: ut non una periret morte, aquâ & igne extinctus est. Anno in sequente die XXV. Januarii, frequentes Daciæ Ordines regiâ pompâ adornatas funeris exequias, sui Principis manibus, quô dominante, pace & opibus Provincia floruit, triduo prosecutis sunt. Ultimâ voluntate Ferdinandi Cæsari, item Ferdinando Hungariæ & Bohemiæ Regi, Amurathi! Sultano, singulis singulos equos regiis phaleris ornatos, & quadraginta nummum aureorum millia legavit. Catharinæ conjugi, cui tribus ab hinc annis Claudiopoli, Principatus Transilvaniæ, in Comitiis affirmatus est, centum aureorum, totidem Imperialium, & florenorum millia, cum Dominiis Fogaraso, Munkacsino, Ecse-
dia, Tokajo, testamento addixit. Se-
pteni superioris Hungariæ Comitatus cum Cassovia, ejus morte ad Sacram Coronam devoluti sunt.

Praetis exequiis Catharina Brandenburgi-

burgica, umbra Principatūs magis, quām
 Domina illius, diversis pro more exagi-
 tata affectibus, nomine duntaxat ut di-
 ximus Principis sibi relicto, fucata Or-
 dinum studia & confusam Reip. faciem
 intuita: Stephani Csakii Aulæ Præfecti,
 viri suâ clientelâ clari ac orthodoxi, du-
 ctum & consilia sequebatur: oderat enim
 Stephanum Betlenium Gabrielis german-
 num, Provinciæ Gubernatorem, quem
 cupiditate dominatūs flagrantem subo-
 dorata, imò & in excidium suum conspi-
 rasse ac Principatui imminere apertè ex
 eo collegerat, quòd misso clam filio Ste-
 phano in Hungariam, Ecsediæ & Var-
 dini Præfectos cum Præsidiariis, Sacra-
 mento sibi devinxisset. Opportunè ta-
 men Budensis Passa, cum mandatis ab
 Amurathe acceptis, Albam Julianam ve-
 nit, quem Catharina ab obitu Conjugis,
 muneribus literisque coluit, ut adversus
 factiosos apud Sultanum defensorem ha-
 beret. Passa imperio Amurathis, Transil-
 vaniæ Ordines graviter cohortatus est,
 ut Catharinam, quam Claudiopoli, vi-
 vo Gabriele, Principem dixissent, stu-
 diosiùs colerent ac observarent, eoque
 adnitente, suam utcunque authoritatem
 Princeps mulier firmavit; Ordines ta-

men ac Provinciæ Gubernator, protractis è Comitorum scribiis, acerbis conditionibus, utpote invisam sibi exteram Principem, adeo circumscripterunt, ut inconsulto Gubernatore & Senatu, nullas Legationes instituere, nulla exteris Aulis responsa dare juberetur. Imò sappè ne Aulâ quidem pedem efferre, nec familiariùs cuiquam loqui, Optimatum ingratiiis, eidem prouum erat, ancillæ nimirum illa similior, quam Dominæ. Eodem anno, Veris initio, Petrus Kovacsius Calvinianus, collectâ perditorum manu, Szilagyensem districtum: Paulus Kunivicsius Arjanus, prædonum colluvie stipatus, in finibus Kolosiensis agri: ut muliebre Imperium excuterent, Provinciam turbare aggressi; non tam jussu, quam precibus Catharinae Principis à Provinciali milite celeriter congregato, in ipsis mali primordiis, dissipati ac deleti sunt. Et quoniam Acatholicis Ordinibus in Romana Sacra propendere observata est Princeps, cùm crebro Catholicis familiariùs uteretur; idcirco multi eorum, tacito ab ea odio dissidebant, & inquis apud Turcam delationibus, negotium afflictæ faceſſere conniebantur. Illa porrò ut Religioni Catholicæ

licæ affectum ostenderet, cuius castissima Sacra in dies vehementius amare cœpit, in Albensi Conventu, Stephani Csakii ac Sigismundi Kornisii industriâ, apud Gubernatorem effecit, ut potiore Senatus consensione, Sacerdotibus Societatis JESU, Albæ Juliæ, Monostoræ, & Karansebessi, Romana Sacra & Scholas, deinceps quoque liberè profiteri, indulatum decretumq; fuerit. Annô MDCXXX nondum expleto, post superatas in Medgyesiensibus Comitiis odiosas plurium altercationes ac turbas, quibus Dominatum Catharinæ impetebant, securitatem ipsa sibi pollicebatur; cum celerimè novo impetu in res novas exæstuantes Ordines Claudiopolim concurrunt, atque in primo statim confessu, prævalente factiosorum clamore, oneri tanto mulierem imparem, Provinciæ habenas ponere, abrogatōque Principatu, Provinciâ excedere jubent. In eligendo novo Principe tres factiones enatæ, earum prima pro Stephano Betlenio Provinciæ Gubernatore: altera pro Georgio Rakoczio Varadini Præfecto stabat; huic Betlenius ipse, Ordinum suffragiis diffisus, ne cuiquam indigenæ serviret, aut Rakoczio invitus subesset, suam o-

pem detulit. Hæc Betlenii consilia, ut primum Provincialibus innotuere, exemplò Betlenium ita secum luctantem, ne in exterum jus summum deferrent, præter opinionem potioribus suffragiis Principem renunciant. Grata hæc illi, sed sera erat oblatio; promptior enim Rakoczius & rerum potentior, fecit ut altera Comitia indicerentur, novis denud suffragiis electio submitteretur: & ostentati fiduciâ Sceptri inflatus, Militum amicorumque catervâ stipatus, profectionem quam celerrimè in Transsilvaniam adornavit. Tertia factio, quam exauthorata Princeps initio fovit, Stephano Csakio Aulæ Præfecto Principatum Daciæ velificabatur, missisque ad Amurathem Nuncio, vehementer institit; Nuncius à Rakoczianis auro promissisque corruptus, neglectâ Dominâ, Rakoczii, non Csakii, omni ope ac studio causam egit. Paucis post diebus Rakoczius Szegevvariensibus Comitiis, Joannis Keminyii Legati sui commendatione, deturbatò sua statione æmulo, à Statibus largitione promissorum præoccupatis, Princeps Transilvaniæ acclamatus prævaluit: anno insequente vigesima quarta Aprilis, Sultanus pariter ejus
Domi-

Dominatum suâ auctoritate stabilivit. Vidua, de Reip. prora, in linternem dejecta, ac hærente undique aquâ, ut salva, si quam contingere posset, ripam teneret: vel invita, ferenum præsetulit vultum, & inaugurationi assensit; novum Principem, Conjugem, liberosque Rakoczii exquisitis muneribus honoravit; perfido tamen nuncio, intra glaciem suffocari jusso, Ferdinandum subinde & suum & Provinciæ Tutorem in auxilium vocavit. Eam ob rem à Rakoczio arcibus Munkacsino & Fogarafo privata, pro tot beneficiis, multiplex maleficium recepit. Hunc in modum è fugitivo Dominatu detrusa, arcibus binis exuta, cùm spes melioris fortunæ nulla superesset, deserta usque adeo in hospitali terrâ, in Hungariam Tokajum recessit. Demùm in perlustrata tantisper Trans-Danubiana Hungaria, Sabariæ Lutherum ex animo ejuravit, magnóque pietatis sensu Catholicam Religionem in manibus Stephani Sennyei Jaurinensis Antistitis professa, veram animi felicitatem, cuius desiderio tot annis tenebatur, majori lucro ac stabiliori, quām fuerit Transilvania, reperit. Circa annum 1637. multis ac sanè gravibus à Rakoczio

koczio Principe exasperata injuriis, tandem Nicolaum Eszterhazium Hungariæ Palatinum, vindicem naœta est; is enim à Romano Cæsare magnis suffultus copiis, cum Transilvanis haud procul ab eorum ditione infestis armis fortissimè concurrit, pugnavit acriùs, & sex Dacorum millibus trucidatis, majores machinas cum impedimentis abstulit. Rakoczius reparato celerrimè exercitu, nam viris, auro, opibus, armisque nec quicquam tunc Transilvaniâ copiosius, bis, téreve cæsus, quod moris erat Transilvanis, Turcam respexit. Is, missis copiis, vexillo, ense, clavâ & tympano, Rakoczium juvit; sed victor omnium Eszterhazius, Catharinæ Brandenburgicæ ac Csakii partes, egregiè tutatus, suæ militaris fortitudinis opinionem, recentibus etsi minoribus victoriis firmavit. Rakoczius concitatam in se Cæsarîs potentiam intuens, tum verò urgenter se se Palatinum extimescens, ut bellum à Transilvanis averteret, Viduæ ablata utcunque in ære restituit, Csakium beneficiis delinitum sibi conciliavit. Catharina postmodum, ut in Matrem Romanam Ecclesiam, suam pietatem testatam faceret, multa de suo in Fundationem

nem Collegii Szattmariensis ac Templum
Ungvariense Societatis JESU liberaliter
ac munificè contulit , Regio quoque
consensu , quem statutio , ut loquimur,
secuta , stabilivit. Ad extremum Fran-
cisco Carolo Saxoniæ , & Angariæ Du-
ci se in matrimonium dedit : divenditis
omnibus in Hungaria fundis, Anno 1640.
cum Conjuge & ingenti monetæ vi in
Prussiam concessit.

§ II.

GEORGIUS I. RAKOCZIUS PRIN- CEPS TRANSILVANIAE.

IN sequentibus annis ab inauguratione
sua Rakoczius propitiam fortunam
Aulāmque Turcicam expertus , mul-
tos suæ nuper dignitatis auctores , Viros
Nobiles ac Optimates , ut res suas eorum
exitio stabiliret , perpetuis carceribus
inclusit , alios Provinciâ fugavit . Ste-
phanus certè Betlenius ne in offensam
Principis incurreret , Transilvaniâ exces-
sit , & in sua , quæ in Hungaria habuit
prædia se recepit , relicto Filio Petro in
avitis fundis . Tristius cæteris exemplum ,
Rakoczius in Davide Zolyomio Daci-
carum

carum copiarum summo Præfecto , & Gothardo Kun , viro lectissimo , non ita pridem edidit ; hi enim cùm ex secundis fortè rebus , & inter hilaria subinde insolentiùs locuti fuissent , à suspicacis animi Principe , quæsitis titulis , perpetuo carcere damnavi , copiosis eorum opibus in Domum Rakoczii illatis , Zolyomius octodecim , Kun verò annos admodum viginti , in mortem usque macerati sunt . In Epistola tamen , ad Pro Regem Hungariæ data , Rakoczius scripsit : Davidem Zolyonium in carcere asservari , quod in fœdus peccare attentârit . Anno deinde 1633. ut plures in hanc calamitatem detruderentur , è Comitiis Albæ Juliæ celebratis Byzantium allegati sunt : Franciscus Miko , Petrus Hallerus , Stephanus Szalancius , Georgius Torma , plurésque alii cum literis ad Amurathem , quibus fidem suam & observantiam erga fulgentem Portam Ordines & Princeps fusiūs exponebant , ac nonnullos ut ajebant turbulentos , qui è Provincia se subduxissent , in judicium remitti orabant . Hoc tempore missis conditionibus per Stephanum Kovaloczium , Andream Kapium , Georgium Horvathum , & Ladislaum Balashazium , Prin-

Princeps cum Romano Cæsare, non e-
vulgatis pactis, pacem composuit. Ac-
cidit subsequis insuper annis, Petro
Betlenio, ut quum irâ incensus, famu-
lum peculatûs reum bacillo scriret, is
ab impacto lethali iactu paucos post dies
obierit. Famâ rei funestæ vulgatâ, Pe-
trus in jus ut homicida à Rakoczio vo-
catur, ille talionem extimescens. ut
impendingi procellæ se eriperet, clam
Ecsedinum in Hungariam ad Patrem pro-
fugit. Pater Petri, filii cau commo-
tus, Budam profectus, cum gemitu vin-
dicem Vezirii manum imploravit, nec
segniùs Constantinopoli suam causam
egit: pressam Tyrannide Principis No-
bilitatem per Székelyum prolixè expo-
suit, opémque Sultani postulavit, à quo
Oratores Rakoczii ne quidem ad allo-
quium admissi; Divanum enim vidicæ
cupidissimum, in causa Betlenii, bellum
Rakoczio inferendum jam decreverat.
Nec diu illud dilatum est; nam Passa Bu-
densis ut quantocyùs Provinciâ Rako-
czium exturbaret, & Betlenium in Prin-
cipatu collocaret, barbara agmina con-
traxit, & ad vicum Szalontam delatus,
haud procul à Rakoczianis constitit. Si-
gismundus Kornisius Balthasaris filius,
aucto-

au&toritate in Provincia rebūsque gestis
 clarus , Dacico Dux exercitui præcerat.
 Is de adventu præferocis vafrique hostis
 edoctus , universa in Barbaros agmina
 explicat , decretorio Marte certaturus.
 Neque Militi animus deerat , quem ad
 strenuè agendum cohortatus , totis viri-
 bus in ingruentes pariter Ottomanos
 irruit , Ducis juxta ac Militis officium
 expleturus ; personante itaque hinc claf-
 fico : indè horriflico Turcarum clamore
 edito , pugnæ initium factum est. Con-
 currere ambo exercitus animis sanè i-
 gneis , neque alterutra partium loco mo-
 veri poterat ; Barbaros vis sua multitu-
 dinis : Transilvanos tot illatorum in Pa-
 triam à Turcis malorum , & vindicta in
 pugnam inflammabat Ita in multum
 diem tragico utrīque prælio pugnatum ,
 ut diu in ambiguo utriūsque esset Vi-
 etoria , cùmque utrinque bis inclinârant
 acies , totidem vicibus restitutæ sunt.
 Demum ipse Kornisius , in eam hostilis
 exercitūs partem , cum 2000. & sexcen-
 tis triginta armatis , stipatus ingruens ,
 quæ validior cæteris videbatur , acerri-
 mo impetu , manu tum sua , tum alio-
 rum perruptis Barbarorum cuncis , dex-
 trōque Turcarum cornu ensibus conciso ,
 residu-

residuum exercitum, rebus jam conclamatis, in effusam fugam conjecit. Rem hanc Gyulafius junior ex adversa parte conspicatus, egregio facinore, à latere tam acriter, fugientes consecutatus est, ut paucis admodum cum Passa Budensi per campos sparsis, cædem effugere licuerit. Cladis magnitudinem, Barbarorumque cælorum numerum Scriptores non meminere; attamen in tam diuturna ac acri dimicatione, immodicum suisse, conjectare licet. Capta militaria signa 30. cum nonnullis impedimentis & equis Asiaticis. Plura hominum incuria obliteravit. Ex Transilvanis ac Hungaris pauciores opinione ceciderunt. Plurimi ex acceptis vulneribus suam fortitudinem nobilitarant. Ferunt Kornisium, ad extrema tentanda progressum, & in ipsum Purpuratum Budensem ordines obequitantem, vi summa invectum, iactumque vibrâsse; verum eō declinante, medium illius tantummodo barbam abstulisse, quod re ipsâ ita evenerit, fide certâ accepimus. Princeps Rakoczius reducem subinde Kornisium cupidissimè accepit, & Virum bellicarum unâ rerum ac Aulicarum peritum, primis honoribus magnisque donis cumulavit. Passa Budensis ob

expeditionem haud ad salivam Divani gestam, jussu Sultani zonâ offocatus est, & æmulorum animi, rursum in amicitiam coaluere; Rakoczio enim, utpote Victorî, Principatus, in quo jam nutaverat, affirmabatur: ne eo tempore Ottomânorum vires distraherentur, quô Persa, eas omnes in se averterat & exposcebat.

Annus interea volvebatur 1637. quô mors Ferdinandum II. ætatis suæ 59nô. Romani Imperii 18vô. Regni Hungariæ 19nô. Bohemici 20mô, è vivis eripuit Rakoczius sub Rege novo Ferdinando III. pacem ad speciem coluit; Turcas enim anno 1640. per literas, facem belli ministrans, in Hungariam provocâsse legitur: quamobrem Ferdinandus omnem suis in Turcicos fines procursionem severè vetuit, ne qua belli causa esset; undè suâ expectatione frustratus, ut domesticam rursum fortunam, subditorum danno, in altum proveheret, multos cives in jus vocavit, & judicio viatos de fortunis deturbavit. Opibus auctus, è conjugis Susannæ Lorantffianæ instimtu, novarum Religionum rem stabilire, ac Orthodoxorum præcipitare non destitit; cùmque multa alia in dies anxiè cavisset, viris

vicis Religiosis, in Transilvania degentibus, ne extra Provinciam exirent, néve aliis in eandem se insinuare liceret, severè prohibuit; quod nempe illius consilia, nam vulpes foveas amant, foras alioquin efferenda contexta manerent: hinc strictior Ordo Seraphicus, ab Hungariæ Provinciæ Fratribus sejunctus, novam sibi, ut vocant, Custodiam erigere opus habuit, ea nunc titulo Transilvanicæ Provinciæ gestit. Cæteri Catholici in communi suæ Religionis calamitate, illo gravissimè anxiabantur, quod nullum domi haberent Episcopum, qui vitam & mores Curionum propriùs cognosceret, atque suis cupiditatibus succumbentes, severâ animadversione in viam reducere posset; multa itaque ac gravia sua postulata, instauratis vicibus, Principi supplices exposuerunt; Religio enim Catholica, ut Sigismundus Kornisius, & Stephanus Hallerus zelosissimi Oratores ac Veteris primæque Fidei Defensores perorabant, ab ætate Principatûs Transilvanicæ, hæreditario jure ac Patriarum vigore Legum sola unicè Domina tot sæculis fuerat: tum verò iniquitate posteriorum temporum, quantumvis pressa, iisdem tamen semper immunitatibus & plena liberta-

te , quâ cæteræ , novis legibus stabilita,
 sola unicè tam apertè ac iniquè , in Tran-
 silvania opprimi non deberet : si enim ad
 Primos Evangelicæ fementis in hac Pa-
 tria Satores , atque ad omnium recepta-
 rum in hoc Regno Religionum Majores
 ascendamus , eos post ejuratam ethnicam
 superstitionem , Catholicos olim fuisse ,
 fateamur est necesse . Naturalis itaque
 gratitudo postulat , ut Religionem illam ,
 tam veterem , tam Sanctam atque Pri-
 mam , à qua omnes lumen Christianæ
 fidei accepimus , non modò Filii , sed &
 Privigni , si non sequimur , tam acerbè
 faltem non insectemur . Quodsi Decre-
 ta ac Scita anni 1588vi . aut anni 1607mi
 & 1610mi . Catholicæ Religioni adver-
 santur ; illa certè communibus Regnico-
 larum Sanctionibus anno 1595 . & iterum
 anno 1599 . ista verò anno 1613 . deinde
 anno rursum 1630 . ad tuendam in Tran-
 silvania quatuor Religionum unionem
 ac Concordiam , concepto publico jure-
 jurando , sunt abrogata & antiquata . Nul-
 lam itaque Principi Legem suffragari , vi
 cuius Romanos Sacerdotes à finibus ar-
 cere : aut eos , qui in Provincia degunt ,
 ægris providere , Ritibus Catholicis fune-
 ra curare , cæterasque sacras functiones
 palam

palam exercere , certis limitibus circum-
scribere fas sit : minus verò Jesuitas in-
dignis modis exagitare , vexare , vinci-
rique infantes admittere ; nisi suum ju-
ramentum , velit infringere , quo Provin-
ciæ juraverat : eō cunctas locō , quatuor
Religiones Regni legibus receptas ha-
biturum : quō illas , cūm Reipublicæ gu-
bernacula capesseret , reperisset . Prin-
ceps et si refragari non posset , nihilo fa-
cilior æquiōrque , ita subinde respondit ,
ut quod unā manu Catholicis deferret ,
alterā subtraheret . Anno 1641 . Placa-
tior Catholicis studiō Filii sui , quem Suc-
cessorem designabat , dixisse fertur :
Receptas quatuor Religiones in Dacia
retinendas esse , Romana tamen Sacra ,
nequaquam per Jesuitas , sed per alios
Sacerdotes , esse procuranda ; hinc Ste-
phanum Sofium Ordinis Seraphici , utut
hominem alienigenam nominavit , qui
Sacerdotibus vicaria potestate præcesset .
Is cūm personam , quam suscepserat , se-
riō gereret , ac vacuis Parœciis , homi-
nes sui Ordinis præficeret , tum verò
muneris potestatem ad Sacrorum Cano-
num decreta attemperaret , ac quendam
in Sicilia licentioris vitæ Curionem in
custodiam tradidisset : odia improborum

in se incendit, à quibus factâ ad Princi-
 pem appellatione, Patronum habuere,
 adeò infestum Sosio, ut ei quieto esse
 non licuerit. Connivebat enim Prin-
 ceps Siculis Sacerdotibus in rebus planè
 indignis, quò pronius vitæ liberioris il-
 liciò, ad Calvinum traducerentur. Quem-
 admodum non multò postea evenit, ut
 nemo unus Curionum, in ditione Sep-
 siensi, Catholicus inveniretur; quorum
 improbis obtestationibus, ne Monachos
 extra Claustrum Princeps exire fineret,
 eò adductus est, ut accubans in con-
 vivio seriò affirmârit: futurum, ut Or-
 dinem Seraphicum totâ Provinciâ exter-
 minet, nisi Sosius Familiæ suæ Fratres
 è Parœciis in Claustrum reduxerit. At-
 que hæ Orthodoxorum vexæ ac mole-
 stiæ, multò tempore ad Annum usque
 1643. tenuerunt. Hac ipsâ tempestate,
 Rakoczius in Casparum quoque Raiki-
 um, Societatis JESU Sacerdotem, qui
 Sociis suis præterat, minas exiliūmque in-
 tentaverat ob suspicionem Libelli per
 Provinciam sparsi, in suam Conjugem
 sanè quàm acerbi. Probatâ subindè Rai-
 kius innocentia, integer à Principe ac
 insons pronunciatus est. Porro asperè
 faceto illi Opusculo, ipsa Lorantffiana,
 Theo.

Theologam induita, suō libellō recenter in lucem protrusō , occasionem aperuif- se visa est; cùm Calamo magis, quām acu excellere: & sublimius scribere, quām suere videri voluerit. Hinc auctor Satyricus ex prima Cognominis Lorant- ffianæ Syllaba, quæ Hungaris *Equum* si- gnificat, facetè illudens, Illam, *Equam* appellārit: subinde induxit: olim Arcam Testamenti in Judæam à duabus Vaccis reiectam: jam verò ab unâ *Equa*, per Daciam vehi &c: Famosa hæc folia, quî Aulam Principis ejusque animum affe- rint? fas est conjicere ex queruloſo scri- pto ad Nicolaum Pro-Regem Hungariæ dato; in quo, contumeliæ impatiens præterquām plurima indigna & asperna- bilia, quibus se vanissimis suspicionibus angi exhibit, Cæſarem ipsum semel at- que iterum frustra oravisse & appellâſſe meminit, ut in auctorem illius libelli in- quireret, compertūmque pro merito ple- ēteret. Cæterū poterat quidem Rakoczius, de nova Religione depressa per Hungariam, suis literis apud Cæſarem liberius querulari, si ipſe in Transilvania Catholicis æquiorem se præbuiffet; sed enim officio suo defuturum se arbitraba- tur, nisi inimica Apostolicis Regibus fa-

cra, toties proscripta, ubique proferret, atque in fundis oppressæ, Regno coævæ Religionis, ea plantaret. Animum certè Principis, quò in eam esset, sequens rursum illius factum indicat: Stephanus Erdelius Vir à veteri Religione, Natalibus & fortunis ornatus, factâ in vivis donatione, peculiari munificentia, septem pagos in Societatem JESU contulerat, in quorum possessionem, nemine contradicente, Societas jam antea venerat. Mortuo Erdélio, Princeps & septem, quos diximus pagos, & alios undecim, Viduæ à Conjuge testatos, publicari fecit. Eâ potissimum de Causa, quod dum Princeps Rakoczius Republicæ causâ, procul ab Aulæ deliciis, in castris sub papilionibus viveret: Erdelius domi in umbra propugnandæ Patriæ immemor molli otio indulgeret. Lege itaque publicâ, cùm ejusmodi hominum Fortunæ Fisco subiectæ essent, jure amissas Rakoczius pronunciare voluit. At cùm Patroni partium in jus vocatarum, excusationem allegâssent: Erdelium eō ipsō tempore Principis mandato, Provinciam vicariâ potestate, Domi interea gubernâsse, tota criminatio dissoluta est, quæ latentem sub specioso legis

legis titulo, Principis avaritiam detexit. Mense Decembri anni fluentis, occulto ut rebatur Rakoczius consilio, Patakinum se contulit, cunctis ferè Aba-Ujvariensibus & Tibiscanæ Hungariæ Calvinianis, exspectatus Hospes venit: Csanovienses anno inneunte 1644 magnis officiis velut Assertorem suum salutarunt. Nec multò post patuit, quò omnium consilia referebantur; Rakoczius enim seditiosum in Domum Austriacam Regemque suum, spretâ fidei religione, quâ se Illi ac Hungariæ obstrinxerat, libellum undique sparsit: argumentô ad excitandos Hungarorum Spiritus in bellum opportuno, atque ut popularibus ferociam aspiraret, pro vindicanda animorum Corporumque Libertate, se in campum exisse, gladium nudâsse affirmabat. Ferdinandus cùm nullâ cohortatione Rakoczii, malum quotidie accrescens sistere posset: ut in fide & officio reliquam Hungariam contineret publicas literas opposuit, quibus Hungaros & Transilvanos à prava Rakoczii societate avocabat; palam exponendo: Georgium Rakoczium Transilvaniae Principem, nullâ injuriâ à se lacessum, cum Svecis & Gallis conspirâsse, Turcam solicitâ-

se, Hungaros sanè quām multos cum Transilvanis, ad funestum Patriæ bellum excitasse, quō infestis armis Hungariam cæterasque Provincias hostiliter invaderet, luctu ac vastitate compleret. Quam obrem tam horribilium Calamitatum, quæ ex ejusmodi intestinis motibus sequi solent. Rakoczii unicè ambitionem in causa futuram. Certis ad hæc tabulis compertum est: Rakoczium à Byzantino Divano postulasse, ut sibi auxilio adesse juberet: Budensem Purpuratum, Passas Temesvariensem, Agriensem, Hativaniensem, Szolnokiensem, Szegediensem, Gyulensem, Lippensem, Canisensem cum Beglerbego Bosnensi, & Szegethanis ac Quinque-Ecclesiensibus Mahometanis; qui turbinis instar totū latè Regno communi ictu cladem inferrent. Sic affectâ Hungariâ, Cæsar gravi licet belli Svecici mole premeretur, arma tamen expedivit, & hoc negotium in Pro-Regem Eszterhazium ac Comitem Puchaium transcripsit. Interea Rakoczius ad gloriam suam, cum fœcunda malis suis Natione, viginti armatorum millia exsuperante, Hungariam invaserat, & in superioribus Ditionibus, Civitates Caffoviam, Eperjesinum, Leuchoviam, assētato

Etato partim obsequio, terrore partim
 armorum & conditionibus occupavit; a-
 liquot tamen velitationes felices factæ,
 quibus seditionis vires coercitæ, at-
 que à Vago amne ad Tibiscum usque re-
 motæ. Anno deinde 1645. apertô jam
 Vere, eductis in campum factiosorum
 copiis, Casparus Bakoffius, sub caudis
 equinis Turcarum Tartarorumque imita-
 tione, Barbaros simulantibus, Duglassio
 Svecorum Ductori adjunctus, in Moravi-
 am partemque Austriae irruptus; inde præ-
 datriæ copiæ in Hungariam reversæ,
 subactis minoribus Civitatibus, Posoni-
 um usque infestæ procursarunt, nullam
 Fortunæ vicissitudinem expertæ: quæ
 plerumque prosperis rebus triste aliquid
 aliâs agglutinat; imò quicquid longa
 diuturni sceleris molitio instruxerat, pro-
 spero exitu consummarunt. Eam ob rem
 Pro-Rex Eszterhazius Sacram Coronam,
 ut in tuto collocaret, Posonio Jauri-
 num deportavit. Subactâ rursum Tyr-
 naviâ, ne eam Svecorum rapacitas ever-
 teret, expressa 16. Millia florenum ab
 exhaustis Civibus, in ærarium Rakoczia-
 norum & Svecorum relata sunt. Filius
 interea Rakoczi, conjunctis cum Dor-
 stensonio Sveco viribus, in Marcoman-
 nis,

nis, acri obsidione Brunam premebat.
 Post mala hæc, Cæsareus Ductor Pu-
 chaimius cum 15. legionibus in Hunga-
 riā supervenit, & minoribus præliis
 adeò hostem primū fatigavit, demum
 Victorum lætitiam vulneravit: ut Agri-
 enses Turcæ societatem Rakoczii exe-
 crantes, eò undè venerant, imminuti
 ac fracti abierint. Et quia neque Vala-
 chi, neque Tartari Rakoczio suppetias
 venerint, celerius, quām sperabatur,
 bellum abruptit: inducias in annos plures
 prorogari petiit; tardiūs deindè ex Ba-
 silio Moldaviæ Vajvoda cognitum est,
 Rakocziūm necessitate, quæ Ferdinandum
 latebat, pacem postulâsse: à Por-
 ta enim Ottomanica severis à bello man-
 datis avocabatur. Pax iisdem ferè con-
 ditionibus, quibus Ferdinandus II. Bet-
 lenio subscripserat, transacta est. Si Cæ-
 sarem æstimes, planè indignis: si tem-
 pora, quibus stipulatio facta est, omni-
 no necessariis. Hunc in modum Sveci
 à Rakoczio deserti, Tyrnaviâ & cæteris
 locis excessere: Dorstenonius quoque
 Transilvanorum secessione fractus, à
 propugnaculo Moraviæ Bruna, urbis
 Gubernatore Susâ, dexterrimè rem ge-
 rente, copiis longâ ac difficiili oppugna-
 tione

tione attritis , collectis vasis recessit .
 Anno deinde 1647. evoluto , Rakoczi-
 us in omnem occasionem intentus , post
 evastatam à Tartaris Poloniam , & Ula-
 dislao Rege defuncto , Sarmatici Sceptri
 cupiditate flagrans , ingentem pecuniæ
 vim , instinctu Michaëlis Mikes Varsaviæ
 profudit , jámque in Polonia belli are-
 nam designavit . Sed impetum hunc glo-
 riæ , primum vis Melancholici morbi sti-
 tit , quem nullæ choreæ , nulli fucatæ strepi-
 tus amicitiæ , sed nec crebra venatio dispu-
 lit ; demum hoc ipso anno 1648. die 11.
 Octob. mors extinxit . Humatus est in-
 signi pompâ anno ætatis LV. exacto ,
 die decimo Januarii anni insequentis ,
 Albæ Juliæ in Episcopali æde , quam pul-
 sis dudum Catholicis Calvinus insederat .
 Elogium & carmen sepulchro à Clien-
 tibus incisum , nimium utpote , referre
 piget . Plerisque Scriptoribus in eo lau-
 datus est , quod Transilvaniam ab exter-
 norum hostium injuriis intactam relique-
 rit : quanquam dispari merito , servatæ
 & eversæ Patriæ Nomen promeritus ;
 nam bello & rapinis famam foris : domi
 ob spoliatam opibus Nobilitatem , pari
 iniquitate infamiam collegit .

§. III.

GEORGIUS II. RAKOCZIUS TRAN-
SILVANIAE PRINCEPS.
FRANCISCUS RAKOCZIUS CUM
SOLO TITULO.
FRANCISCUS REDAJUS DEPOSITUS.
ACHATIUS BARCSAJUS INTERFE-
CTUS.

Georgius II. ejusdem nominis ac Pater, quō vivente in Principem Transilvaniæ electus ac inaugura-
tus, eam moderari cœpit anno 1648. Ut vestigia Patris premeret, genium ex-
pressit, inque eosdem impetus, eos-
démque ambitionis nævos assurrexit. E-
xordio imperii prima illi cura, ut Turciæ Purpuratos placaret; indè tributum XL.
& V. millium aureorum, à Patre per tres
annos neglectum, ipse additis regiis mu-
neribus, Sultano persolvit. Militem
perpetuò in armis habuit, ita tamen,
ut quod factum noīles, servavit in pacē
bellicos Mores, & faciliùs in reliquos,
quām in se imperium tenuit. Neque u-
no aut pluribus diebus, sed annis aliquot
luxu & intemperantia exorbitans, prodi-
ga facilitate, opes à majoribus relictas,
& ipsam

& ipsam famam minoribus vitiis obscuravit. Quod magis in potestate haberet Provinciam, optabat totam Calvinum devotam, atque ut Catholicam Religionem everteret, vitæ morumque Magistros relegare connisus, ex omnibus ditionibus suis exesse jussit. Saxones & Arianos per ludibrium tractabat, vanè sibi blandiens, ita à se circumventum iri, ut antea sint, quam se esse sentiant, Calvinianos. Sed cùm parum suis artibus proficeret, ex morbo insuper laboraret, quem luctus Sigismundo Fratri datum, in florente ætate, morte prærepto causârat: solicitos de exitu morbi Provinciales reddidit; Comitia indixit, Ordinumque suffragiis Franciscum filium, puerum fermè octennem, cùm in Throno Successorem, certis conditionibus, ac Principem nominatum accepisset, non modicè exhilaratur. Uni ex conditionibus, quam Calviniani æternam esse volebant, ne ullo unquam tempore, Transilvaniæ Principatus Catholico deferetur, Catholici acerrimè intercessere. Vertente anno 1653. in Albensi Conventu, Transilvanicum Jus sàpiùs recognitum fuit, eis plurimum fine, ut per ruinæ rei Catholicae, suam cæteri Religio-

nem

nem stabilirent. Subinde quatuor receptæ Religiones confirmatæ: jesuitæ odiō Religionis proscripti, è fortunis eversi. Patroni eorum, si qui deinceps extiterint, ignominiâ notati: quibus infensis decretis, Ladislaus Gyulafius, Franciscus Kornisius, Hallerii, Mikesii, Aporii, & Petrus Torma, plurésque alii illustres Viri, fortissimè obstitêre, suóque calculo irrita esse pronunciarunt. Ne tamen res Catholica, penitus everteretur, à Strigoniensi Metropolita bini Curiones, Michaël Fenesius & Martinus Kaszonius submissi, in Monostora collocati, per Provinciam Sacra procurabant. Post exagitatam tot annis rem Catholicam, jussu Sultani bellum contra Basiliū Moldaviæ Regulum movet, & Copiarum Duce Joanne Kemino, Moldavum ditione exuit; sed is Cosaccorum viribus regressus, totâ Keménium Moldaviâ ejicit. Rakoczius initio Veris Anni 1655. ne Basilio cessisse videatur, novo exercitū Ductore Stephano Petkio bellum restaurat, profligatōque Basilio, & fugâ in Poloniā dilatio, auxiliares Cosaccorum copias, juxta arcem Sucsvam obseffas, tame & armis unâ cum arce ad ditionem adigit. Eâ Victoria Basilii

Basilii thesauro potitus, gradum ad Poloniæ Thronum se posuisse existimans, Stephanum, Basilii epistolarum Magistrum Moldaviæ præficit, quem Ottomanica Porta, depenso prius grandi ære, confirmavit. Paulò post, exortâ militari seditione in Valachia, Szemenii (est populus pedestris militiae ex Thracibus conscriptæ) occisis potentioribus, & exauctorato Constantino Regulo, vinculisque adstricto, novum sibi Vajvodam statuunt. Rakoczius amici casu permotus, socia arma in Szemenios expedit, atque uno trucidatâ rebellium colluvie conflitu, pristinæ Constantinum dignitati restituit. Triumphanti similis, cum quatuor & quadraginta Valachorum signis in terram obversis, ac reliquo belli apparatu hosti erepto, Albam Julianam invectus, pluribus hilaria diebus extraxit: captum Valachiæ usurpatorem, cuneo insutum, crudele Convivis Moldaviæ & Valachiæ Vajvodis, spectaculum exhibuit. Non eadem Cives Claudiopolitani hilaria habuere, quibus vindex scelerum ignis illuxit, & 180. domos vorax elementum incineravit. Cives ut detrimentum suum ulciscerentur, Paulum Fazokasium Catholicum, à cuius æde flamma proru-

pisse dicebatur , cum Michaële Rakosio Nobili Siculo , quem ne supicio quidem attaminare poterat , vivos , exusserunt , suam quantumvis in eqvuleo & rogo innocentiam constanter asseverarent . Eodem anno Calendis Septembribus tam atra ac horrida tempestas Transilvaniam & Valachiam incessit , ut extremum mundi excidium Incolæ instare crederent .

Interea à Tartarorum Chamo , quos Precopenses vocant , metuendum Polonis bellum illatum , & Cosaci quoque à Republica defecere . Rakoczius afflictæ Reipublicæ , ne rogatus quidem , unâ gloriæ cupiditate incensus , per invias alpes , Dacicas copias in subsidium adpropereavit , & confecto feliciter per Michaëlem Mikes copiarum Ducem , bello , Regnum Poloniæ positò hoc meritò sibi obstrictum fecit . Post erectas tantisper Polonorum res , Carolus Gustavus è Bipontino Duce , Svecorum Rex , bellum Polonis denunciavit , à Prussiæ finibus irrumpens , Casimirum ad Zarnovam fudit , Regnumque deserere adegit . Ea occasione Sucus Poloniæ in fidem accipit , cuius exemplum Lithuani & Borussi secuti , ab exule in Silesia Rege ad Victorem defecerunt . Anno altero 1656 .
aversam

averlam à Svecis fortunam Casimirus conspicatus, Gustavum timere desit, Jāmque hosti assultabat: Copias ad hæc auxiliares, à Leopoldo Cæsare affectavit: in Transilvaniam denique Præfulem Pramorskium Legatum misit, ut in societatem armorum Rakoczium invitaret. Nondum evolutō anno, feralia in Dacia omina Cœlum exhibuit, quorum alia Joannes Betlenius, alia Franciscus Veressius consignavit, tres in Sole gladii, medietate è vagina educiti, ac igneo globo circumfusi, Provinciam terruere. Erat nonne-
 mo, qui ignea Sphærâ Deum, tres gen-
 tes monentem, Svecos, Dacos, Cosacos, in bellum fœderatas, ut enses in
 vaginam reconderent, indicari dicebat.
 Crux insuper sublimè visa est, in congres-
 su equitum armatorum, Albam - Juliam
 versus ferri, in omen utique imminentis
 calamitatis. At Calvinianorum Ministri,
 novi ostendorum lugures, felicissimos
 Rakoczio successus, si Poloniam armis
 aggredieretur, totique reformatæ Reli-
 gioni Coronas & Sceptra, ipsamque in-
 dubitatè Römam subjiciendam, de pul-
 pitis vaticinabantur. Achatius denique
 Barcsajus in Consilio, Principis gratiâ fa-
 cile primus, qui dudum Transilvaniæ

Principatui insidiabatur , dolo id egit
pessimo , ut nutantem adhuc Rakoczi-
um neglectâ Stephani Hallerii , Viri gra-
vissimi dehortatione , ad expeditionem
Polonicam adversus Casimirum Regem
impulerit ; quô factô involutum turbis
Magistratu depelleret. Unde res tota eò e-
vasit , ut Rakoczius , non sine inconstan-
tiæ & ambitionis noxa , dehortantibus
nec quicquam , imò minas adjicientibus ,
binis Imperatoribus Romanorum & Tur-
carum , præter opinionem Regi Sveciæ
accederit , invitante Palatinô Vilnensi ,
à Casimiro dissidente , qui spem Regni
Polonici Rakoczio injecerat , & modum
viâmque descripserat , quâ ad fastigium
regale ascendere possit. Non uno itaque
hamo captus , Sveco militem , æs , & si
res ferret , suam quoque personam obtu-
lit : quô facinore omnem præstiti antea
erga Polonos officii memoriam oblitera-
vit.

Initio anni itaque 1657. cum Dacicæ
Nobilitatis flore , regali planè apparatu ,
velut partâ jam victoriâ , in triumphum
iret , præmisso Joanne Keménio cum co-
piis , belli signum cecinit , & cum Tran-
silvanis , Moldavis , Valachis , Græcis
ac Ratciis , quorum agmina trahebat ,
in bel-

in bellum Polonicum itineri se accinxit. Vix Sarmatiæ fines contigit, conniven-
tiâ Principis effusæ in Oppida pagóique
phalanges, in obvios omnes, Sacros &
Profanos, sine ætatis, Sexûs, conditio-
nis discrimine desævierunt. Cracoviam
appulsus, sive ex pacto, sive impenso
Svecis pretio, Urbem ingressus, Tran-
silvanico illam milite, constituto Præfe-
cto Joanne Betlenio firmat, Bresciam,
aliaque oppida ditione capit. Inter-
rea Tartari Criminenses Regi Casimiro,
qui tunc Dantiscum se receperat, sup-
petias laturi, Mense Martio ad ripam
Boristhenis castra metantur: Carolus Sve-
ciæ Rex, ut primùm à Friderico Daniæ
Rege bellum adversum le moveri, & in
Bremensi Svecis subjecta ditione, latè
Oppida eripi cognoscit: contractis sum-
mâ celeritate copiis, destitutóque Rakoc-
zio, è Polonia excedit. Ad hæc me-
diâ æstate adest Hazfeldius, summus
Copiarum Dux, cum sedecim Germano-
rum millibus à Cæsare Leopoldo submis-
sus, qui conjectis in fugam Rakoczianis,
quos Csarnecius, Lubomirskius, Po-
toczkius, Polonæ militiæ Duces inse-
cuti, ad pugnam propter Jaroslaviam ad-
egere. Quina Rakoczianorum millia cæ-

sa sunt, cæteri ab insequentibus Polonis
 in Podoliam usque per deserta propulsi,
 ac demùm indagine clausi, viribus defe-
 tti, his conditionibus juramento firma-
 tis, regressum multis precibus & inde-
 cora pactione mercati sunt: Templorum,
 Cœnobiorum, Urbiūmque redditis spo-
 liis, ejurato Sveciæ fœdere, datisque
 obsidibus Stephano Apafio ac Georgio
 Gyeröfio: deductis cunctis Transilvanicis
 præsidiis, decies Centena florenūm mil-
 lia Polonæ militiæ numerarent; Centum
 quinquaginta verò aureorum Millia Tar-
 tarorum Principi repræsentarent. Ita Ra-
 koczius, fatô suô, regnandi vesania de-
 lusus, traditis Keménio funestæ cladis
 reliquiis, clam cum exiguo triginta ho-
 minum comitatu, continuato plurium
 dierum itinere, per invios calles, in
 Hungariæ plana deductus, Ecsedinum,
 ubi Conjux filiûsve erant, fractus ac in-
 gloriis rediit. Keménius per Transalpi-
 nam redditum rimatus, à numerosa Tar-
 tarorum multitudine circumseptus, ac
 fame vehementer exhaustus, altero ab
 iis insultu, factâ insuper Szemeniorum ad
 hostes secessione, toto ferè contrucida-
 to exercitu, in servitutem abreptus est,
 ex qua non nisi grandi persoluto ære, se
 evolveret.

evolvet. Atque hic fuit exitus Rakocziæ in Poloniam expeditionis tam temerariè suscepta! de his plura Poloni scripsere: sed quæ Transilvani sunt passi, ut scribit Toppeltinus, centum annos lugebunt.

Ab infausta Rakoczius expeditione Transilvaniæ redditus, Comitia Samos-Ujvarini cogit, in iis omnium, qui aderant voto, duo à Principe petebantur: Redemptio primùm Captivorum; Viduæ enim propè sexcentæ, pullò omnes habitu, quæ huc confluxerant, Ordines ad Commiserationem moverunt; decretum est itaque, ut Captivi omnes, summi infimique communi lytro redimerentur. Alterum postulatum erat, Conciliatio Portæ Ottomanicæ; implacabile enim Sultanus gerebat odium, quod spretō imperiō, Polonis bellum intulissent. At utraque hæc, Rakoczius surdā aure excipere, ærarii inanitatem obtendere; quin nescio quam Nobilitati biduo prius concessam immunitatem revocare: invitatis exinde ac ringentibus Ordinibus, nec consalutato Principe, rebus infectis discessum est. Paucis post diebus Turciæ Legatus ad Albana Comitia supervenit, mandatum Sultani, qui cùm omnja, uti

c̄venerant, explorata haberet, severè
 exposuit, literas præsentavit, quibus im-
 perabat, ut Rakoczium sine dilatione
 Principatu dejicerent, ac ne quidem in
 Transilvania paterentur: in arcem Jeno-
 am Turicum præsidium admitterent. Mi-
 næ ad hæc, nî morem gererent, atrocis-
 simæ superadditæ. Perculso cā denun-
 ciatione Provinciales, Rakoczius suā
 promptitudine, sive tot adversis fractus,
 sive spe recuperandæ dignitatis illectus,
 haud modicè erexit; spontè enim Ma-
 gistratu cessit, & sub iisdem Comitiis
 renunciato novo Principe, Francisco Re-
 dajo, viro indolis pacatæ, atque eo ho-
 nore digno, salutem Curiæ dixit. O-
 mni jam periculo defunctos se esse Tran-
 silvani credebant, nisi Rakoczius, quām
 arx Jenoa Turcis cedenda esset, eā ar-
 reptâ occasione, Arcium Præfectis, Fran-
 cisco Gyulajo, Ladislao Ujlakio, Geor-
 gio Banio, in suam rursus fidem attractis,
 eò quod sibi juramento adhuc devincti
 essent, contra vim omnem Turcarum,
 ad promisso æris, annonæ ac militis sub-
 sidio, defensionem perswasisset. Turba-
 tis ita rebus & conflato novō delectu mi-
 lite, missis ad Nobilitatem literis, nova
 Comitia appellat, se in Principatum re-
 stitui,

stitui, Redajum in ordinem redigi mina-
citer postulat, arma denique suscipien-
da in Turcas imperat, quæ magnâ Pro-
vincialium in novos motus æstuantium
facilitate, jam ferè conflata fuere. Co-
guntur itaque Medgyesinum Comitia, i-
tur in Consilium, & potioribus suffragi-
is Dionysius Banfius cum literis ad Ra-
koczium, Redaji & Ordinum nomine
exmittitur, qui malè cocta ea Consilia dis-
suadeat, neque ultra tantoperè indi-
gnantis Sultani furorem in excidium Pa-
triæ ac suum irritaret: rebus pacatiori-
bus, non defore Regnicolis vires & ani-
mos, ut dignitati restituatur, quâ se nu-
per datis pactis ac jurejurando exuisset.
At incassum suscepta abiit legatio, non
aure rationes excipere, non oculis æquis
literas intueri; dolebat nempe degusta-
tâ imperandi dulcedine, Nobilissimæ Pro-
vinciæ Principatu excidisse: dolebat ex-
tra thronum privatam vitam tolerare, &
in Europæ theatro Fortunæ ludibrium
spectari. Ad ingentia itaque conversus
promissa, mox ambitione exæstuans, va-
nas Turcarum iras ostendere: Vires suas
exaggerare, & nisi rejecto absque cun-
ctatione Redajo, suis Ordines morem ge-
rant imperiis, atrociter minari. Et re-

verà celeri in Medgyesinum flexu (quæ
igneæ indolis vis fuit) exercitum urbi,
terrorem Comitiis admovet, læsam ut a-
jebat suffragiorum Libertatem vindicatu-
rus. Exterritis hunc in modum Ordini-
bus, & nonnullis factiosis Rakoczianos
conatus aperte promoventibus, missâ in
campum legatione, solenni in Urbem
pompâ recipitur. Redajus memorabili
moderatione in ordinem se redigi passus,
suum domicilium in Hungariam transtu-
lit, Rakoczius verò accommodatâ sibi ab
omnibus obsequii confessione, Princeps
acclamatur. Post hanc rerum conversio-
nem, ut excidio Provinciam eriperet,
nuncios ad Sultanum ac ad Budensem
Præfectum, cum annuo tributo ac opu-
lentis donariis mittit; verùm eâ legatio-
ne, non nisi oleum igni affusum est, in-
dignatio crevit, & quod in Barbaro mi-
tum, dona remisit, unum ex Nunciis post
diram verberationem necari man davit.
Nihil hoc casu motus Rakoczius, & qui
cum abstergere debuerat, irritavit. In eo
iræ ardore, Lippam versus ubi castra
Budensis Præfectus metabatur, cum no-
vem suorum millibus progressus, popu-
lationem latè circumtulit, ac primi qui-
dem ejus impetus turbo, valido planè
fragore

fragore in Budensem Præfectum detonuit, quem fusum fugatumque castris exxit, vix tricens suorum amissis. Sic primam concessit illi fortuna Victoriam, cui si moderationis plus junxisset, de Turcis majorem postea ad Claudiopolim datura erat gloriam.

Anno deinde 1658. Tartari jussu Sultani acerbam sumpturi ultionem de Moldaviæ & Valachiæ Vajvodis, quos Rakoczius, dum adhuc res integræ fuissent, populis illis præfecerat, in eas Fulminis instar illati, vastas in utraque Provincia solitudines faciunt, ac quam plurimos populares in barbaram servitutem abigunt; Vajvodæ enim cum præcipuis Bojeris, ut fugâ malum præverterent, mature in Transilvanicas alpes semet receperunt. Eandem Turca Transilvanis populationem dirè interminatus, nî Rakoczium è Provincia exemplò ejicerent. Ille, Patriæ Charitate victus, in Albano Conventu nominatis ex una quaque Natione Vicariis, de Provincia excessit. At frustra fuere hæc Transilvanorum in Turcam studia; Chamus enim Tartarorum è Valachia in Provinciam irruptit, quam ne totam everteret, nam cæde & incendio grassabatur, præcipuæ Urbes, Coro-

na, Cibinium, aliæque pacto grandi ære,
 extremum à se exitium avertere sunt coa-
 ctæ: gravius cæteris multatæ sunt Clau-
 diopolitani, quibus necesse erat, octua-
 ginta Imperialium millia hostibus repræ-
 sentare; neque impia fraus ipsis profuit,
 dum Religionem suam à Mahometana,
 ac Tartarica parùm discrepare allegâssent.
 Alba Julia, Sedes Principum, unà cum
 Oppido, immanni furore direpta, subje-
 ctisque flammis triste bustum & solitudo
 fuit. Eadem calamitate pleraque alia op-
 pida, pagi, Castella, igne & ferociâ Bar-
 barorum excisa: qui in manus venere,
 Scriptorum testimonio, quadraginta mil-
 lia numerabantur, & in æternam servi-
 tutem tracti sunt. Ita vafer ac versipel-
 lis Turca, non tam Rakoczium, quam
 Transilvaniam, ejus delicti prætextu, si
 tamen delictum fuit, funditus perditum
 ibat. Ab altera verò Transilvaniæ parte,
 ad evertendum Rakoczium, Supremus
 Vezirius Jenoæ arcii cum numeroſo ex-
 ercitu appropinqvavit, eamque trium
 dierum oppugnatione, seu Præfecti Uj-
 lakii ignaviâ, seu scelere Barcsai Turcica
 castra tum sequentis, victor subegit: pari
 celeritate Caransebessium, Lugosium oc-
 eupavit. Rakoczius necdum à spe me-
 lioris

lioris fortunæ dejectus, Ujlakium unà
 cum quatuor Centurionibus ob festina-
 tam Jenoæ dditionem obtruncari jussit,
 utque hostem ulcisceretur, novos dele-
 ctus, ut plurimùm Hungarorum in suis
 fundis tacit. At Miseri Transilvani, ut
 reliquam servarent Provinciam, veniam
 quibusvis conditionibus, ac pacem de-
 precari statuunt; Achatio itaque Barcsa-
 jo & Joanni Lutsch Saxoni, dant nego-
 tium, Vezirio supplicarent: desisteret
 tandem ab internecione afflictæ gentis,
 paratos esse Provinciales, quibusvis pa-
 etis imperata facere; & Barcsajus quidem
 lugendis omnino conditionibus pacem
 confecit, perniciem Patriæ non abstulit,
 sed in alterum malum commutatam distu-
 lit: traditis enim Barbaro cum Szolnoki-
 ensi agro tribus arcibus, pacto insuper
 exhaustæ ac mutilatæ Transilvaniæ nun-
 quam solvendo tributo, septuaginta Im-
 perialium millibus, annuè præstandis,
 ad hæc quinquaginta Imperialium milli-
 bus in Turcas, dividendis, execribili
 proditione, quæsitum Principatum neque
 diu duraturum, mercatus est. Ita par-
 tum malis artibus Dominatum, ut consta-
 biliret, habito Conjuratorum delectu,
 Comitia Segesvarinum indicit. Ordines
 ab im-

ab imminente intestini belli tempestate exterriti , primo statim congressu Principatum Barcsajo vel inviti affirmarunt. Altera mox Comitia Vasarhelinum edicta , quod non modò Barcsajus , sed plerique etiam Nobiles ut securitatem haberent , multo milite stipati confluxerunt ; non diu his immorati , Bonczhidam abierunt. Porro peractâ Barcsaji inauguratione , Rakoczius necessitate , an Pietate rursum emollitus , quidpiam daturus Patriæ , multis cum Barcsajo conditionibus , per internuncios , quas neuter servatus erat transegit. Interea malorum cumulum auxit , Barcsaji ejusque Propinquorum immensa rapacitas : quorum libidini nihil erat impervium ; venalia illis suere Reipublicæ munia , & posthabitâ re communi , sœva omnium corradendæ à populo pecuniæ cupiditas , totam Provinciam improbitate suâ exugebant. Demum ne quid à Civili malo vacaret , Rakoczius quoquè per Provinciam hostiliter grassabatur , & sive armis , sive insidiis Barcsajum opprimere laborabat : Barcsajus contrà , ob diras exactiones , avaritiæ fordes , continuam crapulam , suis invisus , nullibi securus , ac tantæ potentiae , quâ florebat Rakoczius , obviam ire impar , novam

novam irarum materiam, ob pacta quædam cum Germano Cæsare conventa, apud Portam Ottomanicam adversus rivalem suppeditare nitebatur. Initio tamen anni 1659. Calendis Januariis, Turcarum copiis, quibus lauta hyberna ordinaverat Samos-Ujvarium cum Georgio Betlenio, loci Praefecto in obsequium attraxit, totamque illam plagam Bistricum usquè per vagatus, quantum potuit, ut suum luxum & Turcarum avaritiam expleret, extorxit. Post Ordinatam tantisper Remp. res Religionis agitare cœpit, & in Albanis Comitiis Puritanum dogma, quod jam irretitus fuerat, perversitate Joannis Apacii Siculi, Barcsajanæ aulæ Praeconis, pluriūmque Optimatum assensu, quantumvis reclamante Georgio Tulujo, primo Calvinianorum Ministro damnatis prioribus ritibus, approbavit. Quod Comitorum decretō, in aras ac Cruces sævitum est: duodecim Apostolorum Statuæ, à Principe Gabriele Betlenio, in maxima Albæ æde locatæ, cum iudicio è Templo ejecτæ ac comminutæ sunt. Decreta insuper Sebessiensis Conventus, Ordines confirmarunt, quibus Rakoczii Dominatus, & quæ in Dacia tenebat bona, abrogata ac publicata fuere. Rakoczius

czius hisce ut rebatur contumeliis exasperatus, immisis præferocibus copiis in Dacicorum montium accolas, qui Tibiscum respiciunt, igne, direptionibus, cæterisque injuriis eos exagitavit: cumque graviora sibi impendere mala putarent, ad implorandam Barcsaji opem conversi, arma expediunt; sed & Barcsajus aduersus Rakoczium, contractis aliquot agminibus ad Tordam castra suo infortunio instituit; nam eo ipso tempore Joannes Keménius è Criminensi Captivitate reversus, à præsentium Nobilium Militumque concursu, salutationibus, cunctisque latitiæ signis excipitur, Barcsajo in animo suspicionibus exulcerato ringente, & ejus potentiam, tanto Nobilium favore subnixam extimescente; prærupto itaque Consilio an metu actus? secreto primùm, deinde palam Keménius Principatum defert: ipse tanquam exitio se subducet, cum Ladislao Csakio, Joanne Betlenio aliisque ignavâ fugâ Temesvarinum planè secessit, ac Rakoczio ad capessendum iterum Principatum viam aperuit. Et profecto nova hæc rerum conversio, totam Transilvaniam in novas iterum turbas præcipitavit. Multi enim decreto Vasarheliensis Comitii Fortunis exuti,

exuti, Constantinus Moldaviæ Vajvoda-tui redditus, Michne sive Michaël Transalpinæ Vajvoda novo fœderi adscriptus, Rakoczius denique in novam belli tempestatem multis peditum millibus auctus, ad stabiliendum Daciæ imperium egregiè se comparat. Jam æstas in Autumnum declinaverat, quum Budensis Prætor cum Agriensi Passa & Barcsajo in Transilvaniam progressus, haud procul à fauilibus, Ferream Portam vocant, castra metatur; accurrit Rakoczius, nec sine temeritate, nam viribus impar erat, in aciem descendit, hostem adoritur, cùmque dextrum videt nutare cornu, cum trecentis Hungaris in Prætorianos illapsus, aliquot Turcis sua manu concisis, editâ non modica hostium strage, ne à multitudine circumventus, telis obrueretur, agrè è media suorum clade se eripuit: cùmque perditam esse pugnam videret, cum cæteris semet in fugam dedit. Iresso infelicis prælia dolore, quod plura suorum millia amisisse fertur, per ambages inopinatus Iaudio-polim venit. Turca ob rigorem hyemis in ditionem suam digressus, Barcsajo Cibinium ingressuro, mille equites & sexcentos pedites in præsidium dedit.

Ineunte anno 1660. Rakoczius collectis ultimis viribus, Cibinium, vasti ambitus urbem, dupli muro ac propugnaculis defensam, & in ea æmulum Barcsajum, longâ sex mensum sine fructu obsidione fatigat; cùmque non levia ab erumpentibus Turcis detrimenta acciperet: ad hæc accitum à Barcsajo Budensem præfectum cum valido quadraginta millium exercitu Cibinium festinare ac Transilvaniæ appropinquare cognovisset: relictâ urbis obsidione Albam Julianam celerrimè revertit. Subinde Tokanum usque ejus miles procurrit, & cæsis quibusdam obviis Turcis, pontes ipsorum Tibiscanos exussit. Eodem tempore Budensis Prætor devastatâ incendio & rapinis Varadinensi ditione, Transilvaniam intravit, & inter Claudiopolim Castrûmque Gyalu mediis in campis Lonaensibus & Fenessiensibus consedit. Rakoczius, ut erat Vir fortis, & militari ingenio in pugnam æstuans, ne prementibus sibi tergum hostibus, ultrà cederet, aleam belli subire statuit, vincere aut mori paratus. Designatâ igitur conflitus arenâ, instructâ acie atrox cum hoste prælium init, perfractisque Turcarum cuneis, in medium aciem proiectus, vicensis

vicenis suâ manu trucidatis , quintum
 jam equum insederat , & victoriam ap-
 parabat ; at fortuna pugnanti deerat , &
 miles , Ducis ardorem minimè fecutus ,
 ab ingruente undique Barbarorum multi-
 tudine , dum suorum aliquot Cohortes
 longius proiectas , periculo festinateripe-
 re , ipse circumventus , quatuor vulne-
 ribus læso graviter sincipit prostratus ,
 ægrè è pugna à suis eruptus , victoriam
 desperavit ; simul enim ac per turmas ea
 fama manavit , miles solutis ordinibus in
 montes ac saltus fugâ dilapsus , ad satie-
 tam cæsus est : bellicæ machinæ octo ,
 signa & impedimenta à Turcis capta , qui-
 bus cruenta omnino victoria fuit ; nam
 sex Turcarum millia cecidisse memoran-
 tur . Fortunam secuta est tota Transilva-
 nia , Claudiopolitanos Turca incendio ,
 & pecuniariâ rursùm mulctâ punitos ,
 morâ dierum ibidem quindecim protra-
 ctâ , extremè affixit , cuncta locustarum
 instar depastus . Rakoczius Varadinum
 devectus decimo octavo à fatali prælio
 die , humanis exemptus est . Subinde
 à Francisco Filio , nominato Transilva-
 niæ Principe , & Vidua Sophia Batho-
 ria , Catholicis , in hæreditarias Hunga-
 riæ arces se recipere coactis , Et sedini

primūm : deinde verò Patakini anno
 1661. 24 April humatus est. Sublatō
 Rakoczio & emunctis Claudiopolitanis,
 Purpuratus Budensis cum Barcsajo Kō-
 varinum deflexit : arx est, in finibus Da-
 ciæ Nagy-Banyam versus, eminenti sa-
 xo imposita, cui Joannes Mikesius præ-
 erat, fide in Herum Rakocziūm He-
 ros insignis, certus antea mori, quām
 loci deditioñem facere: Collusione ta-
 men Benedicti Hedrii, & confilio Mi-
 chaëlis Savæ in custodia tenti, cum Bar-
 csajo habitō, res huc evasit, ut qui ar-
 cem tutabantur, Mikesium vincētum ex-
 arce extraderent, qui postmodum sub
 Varadini obsidione, non priùs vincula,
 quām vitam posuit. Lætus hac præda
 Purpuratus, in spem potiundæ absque
 sangvine Etsediæ venit: motis itaque
 castris Etsediām adproperavit, producto-
 que, ut quidam scribunt, & dignam thea-
 tris materiam porrigit, Joanne Mike-
 si in conspectum arcis, Gubernatori
 Michaëli Mikesio denunciat: ut si fra-
 trem cuperet salvūm, arcem protinus
 dederet: neque exauthorato plus Prin-
 cipi, quām sanguinis juri ac fraterno a-
 mori deferret. Mikesius ut Gubernato-
 rem decuit, generosè respondit: mal-
 le se

Ie se per decus emori, quām Germani
 sui magis præmio, quām supplicio digni,
 vitam perfidiâ pacisci. Budensis, spe
 suâ frustratus, relictâ Etsediâ, majoribus
 utpote viribus tentandâ, atrox bellum,
 quod totam turbabit Hungariam, jussu
 Sultani Varadinum transtulit; illuc jam
 enim, summus Vezirius cum Europæis
 & Asiaticis equitibus, ac robore Janicfa-
 rorum, multoque apparatu festinavit:
 Varadinum 4 Julii arctissimè conclusit.
 Oblata ab exercitûs Germanici Duce Su-
 fa, & Francisco Veseleño Regni Hun-
 gariæ Palatino auxilia, Incolæ ac miles
 Reformatæ Religionis, pertinaciter ac
 arroganter rejecerunt, cum dicto: mal-
 le se Varadini Turcicum *Hella*, quām
 Catholicorum *Alleluja* audire. Sed quo-
 niam res hæ, recentes admodùm ac in-
 vidiosæ, dolorem multis moveare pos-
 sint, quanquam à claris Scriptoribus mi-
 nutim notatae, ac sparsim typis etiam
 vulgatae sint, eas idcirco brevi compen-
 dio perstringendas esse duximus, quod
 suscepit laboris celerius finem assequa-
 mur: neque eandem ferè cum præceden-
 tiū annorum materia, continuaçam in
 Posteris ambitionem & perfidiam, solō
 quasi mutatō nomine, distinctam repe-
 tamus.

tamus. Et Barcsajus quidem, à victore Turca, Princeps tributarius Provinciæ impositus, nullam suis pacem dare poterat, cunctis utpote invisus Ordinibus, & quem instigatione ut plurimum Joannis Keménii ad Magistratum aspirantis, tanquam fœdum moribus Turcam, Patriam perdere, modò imperet, nihil pensi habentem, acerbo omnes odio insectabantur. Extremis Transilvanorum malis per idem tempus accessit, Varadini jactura à Turcis expugnati, quam Barcsajo imputabant; is enim expugnato eo Hungariæ propugnaculo, illud ac Claudiopolim se Turcis cessurum, adjecto intolerabili tributo subscripterat, si modò à Budensi Prætore in Principatum remitteretur. Hanc ob rem exorta inter Siculos seditione, quos Andreas Barcsajus alter Principis frater, crudelissimè castigatos, amplius irritaverat: dato enim veluti signo, Barcsajum tota Nobilitas aversari, Tyrannum ac Proditorem Patriæ vociferari; contrà per clandestinos nuncios Keménium propalam prædicare, in Provinciam invitare eique Magistratum deferre. Et is è propinquo vires ostentans, medio Autumno in Provinciam perrumpit, plerosque in discrimen

scrimen juxta ac crimen pertrahit, & trucidato Caspare Barcsajo Principis fratre, ejusqne potiore copiarum parte deletâ, in communi gentis concilio (nam Barcsajus antea in privato colloquio ab Homagio Provinciales absolverat) Novus Transilvaniæ Princeps Bistricii anno 1661. Calendis Januariis renunciatur.

§. IV.

JOANNES KEMENIUS OCCISUS.
MICHAEL APAFIUS.

Potens jam rerum Keménius, & in apice Principatûs constitutus: ad hæc auctoritatis inter Proceres dudùm summæ, cùm viginti ferè annis Transilvaniæ Aulæ Primum gesserit, in indictis à Te Bistricii Comitiis, in eo plurimùm evigilavit, ut turbatæ Reip. reos, & autores calamitatum aut è medio, aut è Provincia tolleret; & quoniam Barcsajus violatis pactis, rursum per literas cum Turcis colludere ac bina oppida si Magistratui redderetur, iisdem despondisse est convictus, Keménius factâ sibi in totum genus illius ab Ordinibus potestate, Andream primùm Bar-

esajum Achatii fratrem, post traditam
 Fogarasiensem arcem, in quam se se
 abdiderat, direxcruiatum, in furcam
 agi mandavit: Achatius autem ejusdem
 Keménii sententiâ, vincitus cum socio
 Budajo scelerum complice, ne elabere-
 tur, Kòvarinum ductus, & ad ludibri-
 um agresti curru vectus, in itinere ac
 vicum Répás impactis ex composito
 multis vulneribus ac plumbea glande
 disceptus miserè periit. Provincial-
 um inventus est nemo, qui interfecit
 dolore aut commiseratione prosecutus
 fuisset. Prælusit tam acerbo suo fato,
 & veluti venturæ necis præfigus Ba-
 rcsajus ipse: nam proculis anno superio-
 re Nummis inscribi hoc lemma jussi:
De profundis clamamus ad te Domine! in
 inferiori autem scutulo addidit: *Seria*
Nos, quia perimus. Paulus magnus re-
 fert: Achatium Barcsajum, ultimum fus-
 se Bánum Lugosiensem & Caransebesien-
 sem in tractu illo; pro delato autem si-
 bi Transilvaniæ Principatu, eum Turcis
 tradidisse. Hoc titulô Barcsajus, in Ap-
 probatis quoque Transilvaniæ Constitu-
 tionibus compellatur. Decreta sunt de-
 inde ab Ordinibus & aliis Reis supplicia.
Andreas Kallajus Calvinianorum Mni-
ser,

ster, qui Varadinensibus hortator extitit, ut deditio[n]em maturarent, quin & Devam Turcis prodere convictus, cum Viris aliquot Nobilibus obtruncatus est. Nicolaus Zolyomius de Szi-kelyhida in exilium actus est. Lazarus Aporius, ex pervertusta ab Opuro descendens Prosapia, quæ anno 1175. *De Kezdi & de Torya* dicebatur, incauta verba illa, quibus Keménio breve imperium vaticinatus est, carceris squalore luit. Plures alii, sua delicta, si tamen in ea, tot Principum mutatione, delicta esse poterant, variis modis expiarunt. Keménius sublato æmulo, ut Turcarum iras retunderet, implorato Cæsaris auxilio, se & Transilvaniam Leopoldi Clientelæ submisit.

Interea Budæ & Temesvarii Praefecti cum sexaginta barbarorum millibus districtum Hâtszegiensem ingressi, cædibus, igne, rapinis crudelissimè, quaquā se verterent, grassati, totam Provinciam, quanto nunquam antea motu concutiunt: Civitates Szafsz - Sebessinum & Szász Varosinum metu ab incolis desertas, in cineres & busta cum Templis opere nobilissimis redigunt. Templum Albense & Bibliothecam eâdem

flammâ exurunt, Keminium Provinciâ exturbant, & à Porta ferrea ad Tibisci usque plana, ingenti edita locorum hominumque strage, barbarâ immanitate grassantur. Pari rabie & horribili populatione Tartari Bihariensem, Munkaciensem, ac Maramarosiensem agrum multis mortalium millibus trucidatis, aut in servitutem abactis evastant: reflexo deinde itinere Aly Passa & Tartari Transilvaniam Calendis Juniis regressi, Bistriciensem & Vasarhelensem tractum, undò veluti turbine inundant. Quacunque gradiebantur, exustis aut proculcatis segetibus, vitibus ve in collibus excisis, in campis demum ad Marusium captivos lustro subjiciunt, quorum centum septuaginta millia censa sunt. Ejecto hunc in modum è Provincia Keménio, convocatis Ordinibus Turca, nec opinantem, imò reluctantem Michaëlem Apafum Provinciæ præficit, mox severè imperat, ut intra quindecim dies ducenta quinquaginta Imperialium millia numerarent: Ita toties revomendum erat aurum, quod superioribus temporibus in vicinis Provinciis tot repetitis rapinis votatum fuerat. Et peracerbis sanè Capitum

pitum, Ostiorūmque exactiōibus, ve-
 riūs Exactōrum direptionib⁹, tota rur-
 sum Provincia expilata est. Serō hæc
 inter, Cæsareus Dux Montecuculus,
 cum auxiliari exercitu Keménio con-
 sociatus, in Transilvaniā appulit, quem
 si ultra Claudiopolim promovisset, bar-
 bari jam in fugam inclinati, Provinciā
 excessissent; at frumenti penuriā, tum
 inopiā pabuli constrictus, redditum in
 Hungariā maturavit: relictis Claudio-
 poli mille sexcentis Germanis. Turcæ
 cognitā per exploratores Cæsarei mili-
 tis secessione, arma in Siculiam con-
 vertunt, & Csikienses, qui imperium
 detrectabant, majori calamitate, quā
 reliquam Provinciam obruunt, terro &
 flammā evastant. Excidium hoc Csiki-
 enses, quanquam obseffis aditibus tuti
 essent: Gentili suo, homuncioni perdi-
 tissimo tribuere debent, qui odiō fidei
 actus, viam Barbaris aperuit, & Patri-
 am prodiidit; in eam enim infestis ut
 primū agminibus, superatis montibus
 Ismaël Purpuratus irruit: mox omnem
 illam ditionem inundans, cum sex &
 viginti Sacris Ædibus, igni crematam,
 avaritiā & crudelitate, quā valuit ma-
 ximā,

ximâ, delevit: cùmque barbaræ illi
 cluvioni nemo obicem ponere posset,
 ultrà quâm decem millia popularium,
 cum Familia D. Francisci, quæ à cla-
 de supererat, in tristem servitutem ab-
 duxit. Relictâ deinde in manibus A-
 pafii Principis Provinciâ rapax illa Hi-
 rudo, Aly Passa cum prædatorio glo-
 bo & impedimentis, Temesvarinum
 in hyberna secedit. Jam restitutam
 exoptatæ tot votis quieti Transilvani-
 am putâsses: nisi Keménius dirâ domi-
 nandi cupidine abreptus, & eô Tur-
 carum excessu, in spem adeundi Prin-
 cipatûs venisset. Is enim collecto mi-
 lite, ad hæc accessione illustrium Vi-
 rorum, Gabrielis & Joannis Hallerii,
 Stephani Petkii, Casparis Kornissi, Dio-
 nysii Banfi, Joannis & Stephani Tor-
 ma, Michaëlis Telekii, Stephani Al-
 vincii, Stephani Ebenii, Joannis Do-
 mokosii, Stephani Székeliî, Georgii
 Kapii, Balthasaris Macskássi, Wolfgan-
 gi Betlenii, Joannis Szentpalii & alio-
 rum: sed imprimis bis mille Germanis
 à Montecuculo submissis erectus, & à
 Fortuna invitatus, hyberno tempore in
 Transilvaniam emergit, atque anno 1662.
 Apafium Szegesvarini obsidet, ubi inu-
 tiles

tileſ fatali cunctatione cùm moras nectit, ab evocatis per Apafium Turcis, in ipſo prælii ardore, proditione Du-
cūm cum hoſte colludentium, à Pro-
vinciali milite deſertus, in fuga lapsu
equi in terram excuſſus, & ab inſe-
quentibus obtritus, Calvini ritibus in-
nutritus interiit. Is, qui caput mortui,
Apafio attulit, quod Adrianopolim con-
tinuò delatum, integrum dono pagum
accepit.

Post Keménii interitum Princeps A-
pafius celebratis Górgénii Comitiis, multos Optimates, capita factionis Cæ-
ſareæ proſcripsit, fortunis unà cum Si-
mone Keménio interfecti Principis fi-
lio, privavit. Consultatum insuper est,
de arcibus è manibus Germanorum e-
ripiendis. Ineunte Majo obſeffa à Tran-
ſilvanis & Turcis Claudiopolis, Præ-
fecti Davidis Rhedani fortitudine &
ſagacitate, nam Civium intestina con-
ſpiratio caſtigata eſt, Cæſari ſervatur:
ſubinde Schneúdavii copiarum Ducho-
ris adventu obſidione liberatur. Cæ-
teræ demum arces, Gyalu, Kóvari-
um, Samos-Ujvarium, quæ cum adjun-
ctis agris eâ parte præſidio Cæſareo
tenebantur, firmatæ ſunt. Interea A-
pafius

pafius modico recreatus respirio, De-
cessorum infelicitate in jacente & ex-
hausta Patria ægrè imperabat, & quan-
quam per Cælareos illi, quieto esse
licuerit; inexplebili tamen Kucfuci Pas-
fæ avaritiâ exhaustus, assiduis Barbaro-
rum minis exagitatus, precariò & ser-
vili more Remp. administrabat. Dum
ita tota Transilvania calamitatibus pre-
mitur, magnum repente, usitatô jam
potentiorum Nobilium vitiô, malum
domi enatum est, quô Nicolaus Zo-
lyomius, imperandi cupiditate abre-
ptus, afflictam ac diminutam Provin-
ciam, amplius imminutum ibat. Is
namque memorabili flagitio Hunyadi-
ensem ditionem, amplam illam ac fer-
tilem Transilvaniæ portionem, Turcis-
detulerat, & per literas ac internun-
cios largis promissionibus aures Diva-
ni impleverat, si Principatûs dignita-
tem sibi addiceret; sed detecto opini-
one citius malo, illud sic abire Or-
dines non sustinuere. Proditor, cùm
se à nefario scelere expedire non pos-
set, vincitus in Fogarasiensem carce-
rem detrusus est. In sequente anno
1663. cùm Sultanus in bellum adver-
sus Leopoldum Imp. exæstuarer, va-
rias

rias belli causas fere è Transilvania petiit, cuius aliquot arces & oppida Germanus miles etiamnum tenebat: Vezirio itaque inferendi in Hungariam belli Provinciam attribuit, qui mediâ æstate cum Asiatico exercitu, decem insuper Tartarorum millibus, tum Moldavis ac Valachis stipatus, belli clas-
sicum cecinit; sed Apafius quoque mandatum à Turca acceperat, ut o-
mnium Nobilium viribus, & qui ar-
ma capere possint, adversus Germa-
nos pugnaturus, profectionem in ca-
stra maturaret, quām Kucucus Passa
ferociter indies adurgebant. Porro
graviter Princeps animo angebatur, cùm
ex Georgio Valachiæ Vajvoda intelle-
xerat: eo hæc fine agi à Barbaris, ut
perditis hoc bello Transilvanis, & si
qui caput discrimini subduxissent, com-
prehensi ac vinciti procul in Asiam tra-
ducantur: vacuam subinde viris Pro-
vinciam Barbari insideant, Turcicóque
Imperio subjiciant. Huic itaque ulti-
mo avertendo malo, maximis Princeps
atque Ordines curis cruciabantur: quo
nimirum consilio, destinato Patriæ ex-
cidio occurrerent? quā ratione suam
cunctationem protelarent? grandi ergo
Kucsu-

Kucscucus Passa auro persvalus, ut brevi secuturos præcederet; At Transilvani ita longè à Barbaris sejuncti, arma in Hungariam intulerunt, ut simulatō hoc suō obsequiō, gentis servitatem & iram Vezirii evaserint. Imò ut gratam rem civibus Apafius faceret, dum odiis ac injuriis, Militūmque transfugio, in Provincia nunc hāc, nunc illā parte exinanitā certabatur: unum in miti ac minimè cruento Rēgimine, magnum fecisse opus legitur; quippe cum Romano Cæsare in inducias descendit, bellō sensim (elusā à Turcis spe pacis) in Hungariam derivatō; quod invictis armis, & secundissimis auris progressa Austriacorum Fortuna, Hungarorum Fidelitate, feliciter demum terminavit.

Post Michaëlem Apafium non malum Transilvaniæ Principem, Provincia communi Ordinum voto, magnāque Gentis felicitate, ad Regem Hungariæ reddiit, per Regium Gubernium posthac administranda. Multi Scriptores Andreām Bathoriū Cardinalem & Moyſen Siculum, prælio Vajvodarum Transalpinæ devictos ac cæsos, veluti & Michaëlem Apafium hoc nomine secundum,

cundum, Transilvaniæ Principibus non annumerant; hunc postremum tamen quædam Chronica ad annum 1684. inter Principes Daciæ retulit. Qui Regio in Transilvania Gubernio præ-est, Provinciae GUBERNATOR appellatur, estque si Militaria demas, in Civilibus Vicaria Principis Potestas. Eorum Nomina ita habent:

- I. Michaël Teleky S. R. I. Comes, juxta Vicum Törszegh, à Corona duobus milliariis distito, acceptis in prælio 23. vulneribus, in eodem vico obiit. Gubernavit ab anno 1690.
- II. Georgius Bánfi de Loffoncz. 1694.
- III. Comes Sigismundus Kornis L. B. de Göncz-Ruszka. Actualis Intimus Cæsareo-Regiæ Majestatis Consiliarius. Gubernavit ab Anno 1713.
- IV. Excell. ac Illustriss. Comes JOANNES HALLER L. B. de Hallerkð. Cæsareo-Regiæ, nunc vero Regiæ Hungariæ & Boëmiæ Majestatis Camerarius, Actualis Intimus Consiliarius &c. Cujus Gubernio Dacia felix est! Ab anno 1734. fortunatè perennat.



NOMINA ET SERIES REGUM HUNGARIAE,

I.

S. STEPHANUS de Progenie Du-
cis Geyza sive Győző , id
est ; Victor. Primus Rex & Apo-
stolus Hungarorum. Coronatur
Anno 1001. Fundat Archi - Epi-
scopatum Strigonensem & Epi-
scopatus 10. Coloczensem , A-
griensem , Transilvanensem , Quin-
que-Ecclesiensem , Wesprimensem ,
Bachiensem , Csanadiensem , Jau-
rinensem , Vaciensem , & Varadi-
nensem. Huic nimirum Fundamen-
to , veluti Petræ , D. ac Primus
Rex Stephanus , universam Apo-
stoli-

stolici Regni felicitatem inniti voluit. Divinitus edoctus : nihil descendere Reipublicæ., dum Viris Deo dicatis , an magis Deo ipsi Bona tribuuntur. Ab hoc Rege Lex omnium prima statuta est : Ut Reges Hungariæ esse non possint , qui Catholici non sunt. Idem statuit Articulus II Anni 1723. Moritur Anno 1038. ipso die B. M. V. in Cœlos Assumptæ : quô per Apostolicum Nuncium , Albæ Regalis Angelicâ Coronâ incinctus est.

II.

PETRUS. Teutonicus , Venetiis ex Sorore S. Stephani Regis genitus , Coronatur An. 1038. Privatur ob crudelitatem Coronâ 1041. Restituitur & Coronatur secundò 1044. Privatur oculis & Albæ Regalis moritur 1047. Quinque-Ecclesiis in Cathedrali Ecclesia à se ædificata sepultus est.

III.

ABA , è Sorore S. Stephani ,
G 2 Anno

Anno 1041. Coronatur. In pago Chaba prope Tibiscum , ob crudelitatem interemptus est Anno 1044. Conditus est in Monasterio Sár , à se extructo.

IV.

ANDREAS I. Endre dictus , Anno 1047. Regis hujus indultu, relapsis multis ad Idololatriam Hungaris , S. Gerardus cum sociis Martyrio Coronatus est. Subinde seriò vitam emendavit , demum post infelicem cum Fratre ad Tibiscum Pugnam , fugitivus in sylva Bakony moritur 1059. Sepelitur in Cœnobio Divi Aniani à se constructo in Thihon juxta lacum Balaton.

V.

BELA I. Vox est Hungarica , quæ Adalbertum significat. Fuit Frater Andreæ Regis. Coronatur 1059. Moritur 1063. à collapso throno collisus.

VI.

SALAMON , Andreæ Regis filius,

lius, anno 1063. Coronatur. Corona privatur 1073. In Eremo moritur 1076. Polæ in Istria jacet.

VII.

GEYZA I. S. Ladislai Regis Frater, & Belæ Regis filius 1073. Coronatur. Patriæ Pater dictus. Moritur 1076. In Vaciensi Ecclesia à se extructa sepultus est.

VIII.

S. LADISLAUS, 1076. Coronatur. Primus oblatos Romani Imperii fasces respuit. Moritur 1095. quō Varadini in Ecclesia à se extructa conditus est.

IX.

COLOMANUS, Kónyves Kalman dictus, Coronatur 1096. Hic devictos à se Venetos utráque Dalmatia exuit. Boleslai Polonorum Ducis filiam anno 1108. Sibi sponsat, & Scepusiensem terram Polonicæ tunc ditionis, dotis loco, Hungariæ in perpetuum adiicit. Sub hoc Rege Decretorum libro 2. cap. 15. longè ante tem-

pora Tridentini Concilii, clandestinum Matrimonium, Regni lege prohibitum est. obiit anno 1114.

X.

STEPHANUS II. Colomani filius. Coronatur 1114. Cunctis vicinis Gentibus formidabilis. Ante mortem Monachum induit. Moritur 1131. & Varadini tumulatur.

XI.

BELA II. à Colomano oculis privatus. Coronatur 1131. Populus sexaginta octo Barones, quorum Consilio excæcatus fuerat, crudeliter interemit. Per Helenam Conjugem, dotis nomine, Ramam Serviæ partem, factus Rex Ramæ accepit. Hæc nunc trans Drinum fluvium in Bosnia quærenda est. Moritur 1141.

XII.

GEYZA II. Belæ cæci Primogenitus. Coronatur anno 1141. Pii ac Victoriosi nomen meritus. In Transilvania Saxones statuit. Nitreensem Ecclesiam, è Collegiata

Cathe-

260 f36

Cathedralem constituit, veteremque Insulam, quam Barbari dum protriverant, auctâ dote restituit. Moritur 1161.

XIII.

STEPHANUS III. Geyzæ filius. Coronatur 1161. Veneno Stephani IV. Patrui sui enectus. Hungaricis triennale tributum remisit. In Strigoniensi Basilica anno 1173. tumulatur.

XIV.

LADISLAUS II. Belæ cœci filius. Vivente Stephano III. per fafiosos Coronatur, & eodem anno 1173. moritur. Albæ Regalis sepultus.

XV.

STEPHANUS IV Itidem Belæ cœci filius, iisdem usus suffragatoribus, quibus Ladislaus frater, versante Stephano III. in Dalmatia, Coronatur 1161. Subinde à Stephano III. acie devictus, quem ipse tamen toxico confecit; eodem anno 1173. receptâ Coronâ,

post unum mensem in Zemlin moritur , & Albæ Regiæ tumulatur.

XVI.

BELA III. Geyzæ secundi filius & Stephani Tertii frater. Coronatur 1173. Publicæ Securitatis Vindex , à Latronibus Regnum severissimè vindicavit. Patriæ Pater nulli secundus. Polonos & Venetos domuit. Sub hoc Rege , Claudiopolis & Segeſvarinum , in Transilvania à Saxonibus ædificatur. Claudiopolis, sic primùm dicta est , circa annum 1600. Nam priùs Clus , dein Colus , demùn Colosvarum vocabatur. Moritur anno 1196. Albæ Regalis tumulo illatus est.

XVII.

EMERICUS sive HENRICUS Belæ tertii filius. Coronatur vivente Patre , 1196. Hoc regnante Coronam & Szaszháros in Transilvania Saxones condunt. Rex Cibinii Præposituram ac Canonorum Collegium statuit. Agræ anno

anno 1200. Moritur, ibidemque regiâ magnificentiâ sepelitur.

XVIII.

LADISLAUS III. Emerici filius, Coronatur 1200. Mense Augusto, In ortu sui Regni, Viennæ Austriæ anno 1201. occidit, & Albæ Regiæ tumulo infertur.

XIX.

ANDREAS II. Hierosolymitanus dictus. Filius Belæ tertii. Anno 1201. Coronatur. Cum Hungaris & magna Saxonum Transilvaniensium Cruce signatorum multitudine, ut Votum impleret, quod Pater ejus Deo voverat, ad partes Syriæ anno 1217. transvectus, plurimis locis occupatis, post obtentam de Saracenis Victoriam, Palestinæ Triumphator, terrestri itinere in Patriam revertit. Genuit S. Elisabetham. Eo regnante Saxones anno 1206. Bistriciam in Transilvania condunt. Moritur 1235. illatus est Cryptæ in Cœnobio Egres Cisterciensium à se exstructo

juxta Marusium amnem , quod sub Bela IV. Filio ejus à Tartaris e-versum est.

XX.

BELA IV. Coronatur 1213. vi-
vente Patre , à quingentis Tarta-
rorum millibus unà cum Boleslao
Poloniæ Rege , exul errare per
Dalmatiam debuit , quo tempore
Transilvania quoque eversa est.
Post triennium rediit. S. Margari-
tam genuit. Singularis Cultor Dei
Genitricis extitit. Anno 1275.
Moritur.

XXI.

STEPHANUS V. Belæ IV. Filius
regnante Patre , anno 1275. Co-
ronatur. Ottocari & Bambergens-
ium arma Victor retudit. Bulga-
ros domuit. moritur 1278.

XXII.

LADISLAUS IV. Stephani dege-
ner Filius, Coronatur anno 1278.
Ottocarum delevit : Austriam Ru-
dolpho cessit , à devictis Cumani-
nis , Chunius dictus ; sed Cuma-
nâ mol-

nâ mollitie enervatus , ab Ecclesia rejectus , in Kôrös-Szeghiensi pugna , à Cumanis anno 1290. interfectus , à nullo deploratus , tumulo caruit.

XXIII.

ANDREAS III. Nepos Andreæ II. anno 1290. Coronatur plurima à suis alter Jobus perpessus , dum intestino Rebellium ferro , dissectum lugeret Regnum , Moritur An. 1301.

XXIV.

WENCESLAUS Bohemicæ Rex ab Hungaris Coronatur An. 1301. moritur 1308.

XXV.

OTHO Bavarus. Coronatur 1305 Post tolerata vincula in Dacia , Coronâ privatur 1308.

XXVI.

CAROLUS I. Italus Caroli Martelli Regis Siciliæ Filius Coronatur 1310. Vissegradi Moritur 1342. & Albæ Regalis tumulatur.

XXVII.

LUDOVICUS I. Caroli I. filius , Coro-

Coronatur 1343. Ejus Frater, Andreas Rex Siciliæ, consciâ forte Conjugè strangulatur. Dalmatiam à Venetis, armis vindicat. Lauros innumeræ Victor messuit in Italia, Bohemia, Polonia, Lithuania, Croatia, Dalmatia, Apulia, Sicilia, Dacia, Valachia, Tartaria &c. Præter Togatos, Romam subeuntem, obvii centum Urbis Principes Hospitem salutant. Pius audiit, dum Aquisgrani & Cellis in Styria, Marianos thefauros locupletavit. Hungariam totos 40. annos, Domi in pace habuit, Hebræos totô Regnô exulare jussit. Moritur 1382. Albæ Regalis tumulatur.

XXVIII.

MARIA Ludovici Filia, Rex Coronatur 1382. Joannis Horvathi Bani Croatiæ impio scelere in Carcerem conjicitur : Coronâ privatur, 1384. è carcere ad Solium rediit, dum Sigismundum Bohemiæ Regem, thori & Throni socium admisit. Moritur 1392. XXIX.

XXIX.

CAROLUS II. Andreæ Apuliæ occisi Regis Filius , à Stephano Daciæ Wajvoda in Hungariam evocatur , Parvus dictus , Mariæ Sceptrum dolo occupavit. Coronatur 1384. Graviter vulneratur Budæ à Blasio Forgach , & in Carcere moritur 1385.

XXX.

SIGISMUNDUS Caroli IV. Imperatoris Filius , à Ludovico I. in hæredem adoptatus , in Regem Hungariæ coronatur 1387. Horvathum Croatiae Banum capit , & Quinque-Ecclesiis dirō supplicio necat. Sub hoc Rege , primūm Turcæ in Syrmium ingressi , quos Stephanus Daciæ Wajvoda evocaverat : à prælio cum Bajazete ad Nicopolim infelix fuit : imò post 12. prælia cum variis hostibus habita , nullam Rege dignam lauream tulit ; annis licet 50. regnabit. Mortuo Wenceslao fit Rex Bohemiæ. Causâ tollendi Schismatis,

matis, Galliam, Angliam, & Hispaniam invisit. In Constantiensi Concilio 1414. in Missa Pontificis, Diaconi veste indutus assistit, & Evangelium recitat. Anno 1433. ab Eugenio Romæ aureâ Coronâ Imperator inauguratur. Tredecim in Scepusio oppida Regi Poloniæ pro octoginta novem Millibus Imperialium in pignus dat. Znojmæ in Moravia moritur, 1473. & Varradini tumulatur.

XXXI.

ALBERTUS Sigismundi Imperat. Gener, ex Austriaca Domo primus, Hungariæ Rex, Coronatur 1438. eodem anno fit Rex Bohemiæ & Rom. Imperator. Ex efu Pepo-
num in Hungaria moritur 1439.

XXXII.

LADISLAUS IV. Posthumus Al-
berti Filius, inter vagitus infans
Coronatur 1440. Joannes Cor-
vinus fit Gubernator Hungariæ,
qui præter innumeræ laureas,
Mahometem, Byzantii anno 1453.

expu-

expugnatorem, ad Belgradum vicit & in pectore vulneravit. Ejus filios, mortuō Patre, Ladislaus ad securim Rex damnat: Mathiam in Vincula conjicit. Peractā tragœdiā, Rex mittit Pragā 700. auratos Equites & 400. Matronas ac Virgines, pro sponsa in Gallias; sed mors nuptias prævertit, & ipsō, quō Ladislaus Corvinus, uno ab hinc anno, cæsus est die, moritur. 1457.

XXXIII.

ULADISLAUS I. ex Duce Lithuaniae Coronatur in defectu Coronæ Lypsanis D. Stephani Regis, 1440. dum Regina Elisabeth cum Corona & Ladislao Posthumo filio ad Fridericum Imp. clam abiit. In Pugna fortiter dimicans ad Varnam interit 1444. Fuit frater Regis Poloniæ.

XXXIV.

MATHIAS Corvinus è vinculis ad Solium evectus, Coronatur 1464. Titulo brevi ac modesto passim uteba-

tebatur, nimirum : *Nobilis Dominus Rex.* Ævo hoc Titularum prærogativâ, immane quantum assurgere plerosque videmus. Adeò quidem, ut jam & Mulieres & Pueros Titularum ambitio afflaverit. Ita decrescente Christianâ simplicitate ac Modestiâ, imò declinante Potentiâ, crescit tamen Ambitio. Quinquies de Cæsare Friderico, decies de Turcis triumphavit. Casimirum Bohemiæ Regem semel à Corona, bis vastatores à Regno Bohemos abegit. Mysiam, Silesiam, Lusatiam, Moraviam, partémque Austriæ, Sceptro suo subjicit: Dacos ac Moldavos domuit. Moritur Viennæ 1490.

XXXV.

ULADISLAUS II. Rex Bohemiæ, Casimiri Poloniæ Regis Filius, Coronatur 1490. Fratrem Albertum Hungariam eripere volentem & in prælio captum, liberè dimitit. Rex *Dobře* dictus, Ejus jussu

jussu Stephanus Werbőczius jura
Regni in tres Libros rediget. Mo-
ritur 1516.

XXXVI.

LUDOVICUS II. Uladislai Filius
coronatur 1509. etiam in Bohe-
miæ Regem. Sub hoc Rege 1518.
initia Lutheranorum facta sunt.
Cum Proceribus Regni in Moha-
ciensi clade interiit 1520.

XXXVII.

JOANNES ZAPOLYAI è Comite
Scepusiensi & Transilvaniæ Waj-
voda fit Rex, Coronatur 1526.
Privatur Regno 1527. Post con-
cussum ingenti motu, ac divisum
Regnum, restituitur 1530. Mori-
tur 1540. & Albæ Regalis tumu-
latur.

XXXVIII.

FERDINANDUS I. Archidux Au-
striae Caroli V. Frater & Rex Bo-
hemiæ. Coronatur in Regem Hung.
Budæ 1527. Contra Protestantes
cum Carolo V. Imp. feliciter pu-
gnat: ab Hungaro Quinque-Eccle-

H siensi

sienſi Josepho Lakani , Saxonie
Dux vulneratur & capit. Anno
1534. Calvinus ſui dogmatis ini-
tia posuit. Isabella Vidua , Transil-
vaniam & Sacram Coronam Ferdi-
nando coacta cedit. Anno 1545.
die 13. Decem. inchoatur Concilium
Tridentinum. Carolus V. Impera-
toriam Dignitatem resignat , &
Ferdinandus I. ex Rom. Rege fit
Imperator. Michaël Servetus no-
vi Arianismi auctor , Genevæ au-
tore Calvino Vivus exuritur; ejus
tamen Dogmata Valentinus Gen-
tilis & Geor. Blandrata subinde per
Transilvaniam diſseminârunt. An-
no demum 1564. Ferdinandus San-
ctissimè obiit.

XXXIX.

MAXIMILIANUS Ferdinandi I.
Filius , Coronatur 1563. Fit Rom.
Imperator. Turcæ varias arces in
Hungaria & Croatia occupant ,
plures Ditiones evaſtant. Comes
Nicol. Zrinius cum Szigethana ar-
ce glorioſe occumbit. Fame &
Peste

Peste multa mortalium millia intereunt. Stephanus Bathorius Maximiliano Sceptrum Poloniæ præripit , cui Ratisbonæ in Comitiis cætera quoque sceptra , Mors abstulit 1576.

XL.

RUDOLPHUS Vivô Patre Maximiliano , 1563. Coronatur. Ab Amurathe anno 1582. Constantinopolim cum cæteris Europæ Regibus ad circumcisionem Mahometis , filii Amurathis invitatur. Duravit solennitas , ludi & spectacula diebus 40. Exortâ inter Legatos Hungariæ & Galliæ lite , de digniore loco occupando : Turca Hungarum ea de Causa Gallo præposuit ; quòd Rex Hungariæ , pluribus quam Rex Galliæ , præfasset Regnis. Pestis & Terræ motus passim sœviunt , bellum cum Amurathe , gravi Christianitatis malo , fervet. Jaurinum Turcis deditur. Michaël Telekessius , pri-
mæ in Hungaria Prosapiæ ultimus
H z hæres,

hæres , ob publica latrocinia , Pononii in Comitiis Rudolphi Cæsar is jussu , publicè decollatur . Idem Cæsar Coronam Hungariæ Fratri Mathiæ Archiduci cedit 1608.

XL I.

MATHIAS II. Coronatur 1608. Fit Rex Bohemiæ & Rom. Imperator. Sub hoc Rege Nicol. Istvanius Scriptor , anno ætatis suæ 80. 1. April. obiit. Rex Strigoni um , Novigradum , Vaciam , Hat vanum , & cum Tata Jaurinum ac Albam - Regalem Turcis eripit , in proverbio habuit : nullam tanto pere Coronam , suum gravare Caput , ac Hungaricam ; quia nimirum plura Aætholicis in Hungaria indulgere debuit , quam voluit. Lutherani 1617. sui Evangelii primum sæculum , Disputationibus ac Conviviis celebrant , quâ ratione Novitatem suæ Fidei publicè professi sunt. Mathias 1619. ætatis suæ 62. Viennæ Moritur.

XL II.

XLII.

FERDINANDUS II. Rex Bohemiæ, Posonii 1618. Coronatur. Cometa horrificus lucet sub Comitiis Posoniensibus. Fit Imperator. Pragæ tumultuantur Protestantes. Martem & Catonem indutus, Britanos domat, Danum inclinat, vincit Fridericum Palatinum Rheni & Gustavum Sveciæ Regem. Piùs audiit, & illud à Crucifixo : *Ferdinande non te deseram!* Anno 1637. Rex Apostolicus, vitâ Catholicus, moribus Christianissimus Viennæ obiit.

XLIII.

FERDINANDUS III. Coronatur 1625. Fit Rex Bohemiæ & Rom. Imperator. Reducit ad obsequium Bohemiam & Moraviam, fortiter sæpiùs Svecis resistit. Anno 1638. Varadini Sepulchrum S. Ladislai à Calvinianis violatur, & thesauros in eo inventos, Georgius I. Rakoczius, Transilv. Princeps violenter auffert. Ferdinandus

dus insignis Mariani Cultūs Promotor, 1657. piè moritur.

XLIV.

FERDINANDUS IV. Coronatur 1647. fit Rex Bohemiæ & in Regem Romanorum 1653. eligitur. Anno ætatis 20mò. Augusta Innocentia, fit Mortis Spolium & è Solio 1654. in tumulum defertur.

XLV.

LEOPOLDUS I. cognomine Magnus, defuncti Ferdinandi IV. Frater, ex designato Passaviensi Episcopo, Posonii 1655. Coronatur. Fit Rex Bohemiæ & Imperator. Viennam ab obsidione Cæsis Turcis liberat. Hungariam, Sclavonię, Transilvanię, è Turcarum jugo solvit. Anno 1693. 16. Aug. Deo votum de Ecclesiis per Hungariam & Parochiis instaurandis, dotandis, publicè facit. Anno subsequente in favorem Græci Ritūs Sacerdotibus, Romanæ Ecclesiæ unitis in Transilvania, Diploma tribuit. Piè moritur 1705.

XLVI.

XLVI.

JOSEPHUS I. Coronatur 1687.
Fit Rex Bohemiæ & Rom. Imperator à Cæsis hostibus Italicus, Gallicus, dici meruit. Piè moritur 1711.

XLVII.

CAROLUS III. Leopoldi Filius & Josephi Frater. Hispaniarum Rex, in Regem Hungariæ 1712. Coronatur. Rom. Imperatorum Potentissimus, Rex simul Bohemiæ &c. à Cæsis hostibus Germanicus, Italicus, Hispаниcus. A stratis Barbaris, Eugenio Exercituum Duce, Tcmesvaro & Belgrado captis, Danuvio, Savo, Aluta receptis, Pannonicus, Dacicus, Thracicus. Pro securitate Provinciarum Municipiorum æternorum, Albæ Græcæ, Carolinæ, Eßzekii, Petri-Varadini, Temesvarii, Orsovæ, Alter Conditor. Cæsar semper Augustus, Pius, Fortis, Justus. Patriæ Pater. Moritur 1740. in Filiabus ac Nepotibus perennaturus.

XLVIII.

MARIA THERESIA Caroli VI.
 Filia. Jure Hæreditario succedit
 Patri, & 1740. 20. Octob. Regi-
 men Regnum aufspicatur. 1741.
 25. Junii Coronatur in Regem Hunga-
 riæ, quô Archi-Ducem Austriæ &c.
 JOSEPHUM genuit. Anno 1742.
 in Reginam Bohemiæ, Pragæ in-
 auguratur. A stratis, captis, ac
 depulsis hostibus, Austriâ libera-
 tâ, Bavariâ occupatâ, Bohemiâ
 receptâ, Italiaâ defensâ, cogitur
 Sex Europæ Regibus armis resiste-
 re. Anno 1743. ultrà quam virgini-
 ti Captivorum Gallorum Millia,
 suis in Regnis numerat. Hoc bel-
 lô Hungari, Croatæ, cunctæque
 Gentes ac Nationes Domus Au-
 striacæ hæreditariæ, Militaris suæ
 Fortitudinis ac Fidelitatis Glori-
 am, Robur & Nomen, per Eu-
 ropam augent. 1744. 3. Julii sub
 Carolo Lotharingiæ Duce, Cam-
 pi Mareschallus Comes Fran. Na-
 dasdius cum Hungaris, Croatis
 &c.

&c. Rhenum feliciter trajicit ,
 & in hostilem ditionem Reginæ
 Exercitus transit : Cujus Majestati
 Fidelium Populorum Votis , Vi-
 ctorias , Vitam & Posteritates : Re-
 gna & Imperia : Pacem ! & Pacis
 fructus advovemus.

*Anno 1780. 29. Novembris obit
 dominus Iosephus Antonius Ignatius
 von Thun-Hohenstein. Successor filius
 pietatis II.*



NO.



NOMINA ET SERIES Ducum, Wajvodarum, Principum, & Gubernatorum TRANSIEVANIAE.

Gula Dux Transilvaniæ ex Ethnico Christianus Catholicus.

Zoltan. Dux Transilva. ex Ethnico Christianus Catholic.

Bela I. Dux Transil. Cathol. fit Rex Hungariæ.

Geyza & **S. Ladislaus** Duces Trans. Cathol. fiunt Reges Hung.

Almus Dux Transilv. Cathol. fit Rex Hung. sed Regnum Fratri cessit.

Ladislaus & **Stephanus** Duces Trans. Catholic.

Bela Dux Transilv. Cathol. fit Rex Hungar. Bela III. dictus.

Andreas Dux Transil. Cath. fit Rex Hung. Hierosolymitanus dictus.

Coloma-

*Colomannus Dux Transilv. Cathol.
fit Rex Haliciæ.*

*Bertholdus Dux Transilv. Catholic.
Michaël Wajvoda Transilv. Cathol.
sub Andrea II. Hierosolymit: ut
ex Diplomate dicti Regis Anno
1209. dato, eruitur.*

*Chák sive Csák Dux Transil. Cathol.
Stephanus Dux Transilv, Cathol. fit
Rex Hung.*

*Ladislaus Wajvoda Transil. Cathol.
Filius Stephani V. Regis Hung.
Thomas Wajvoda Transilv. Cathol.
Venetorum Domitor.*

*Andreas Wajvoda Transilv. Cathol.
Tartarorum Domitor, fit Apuliæ
Gubernator.*

*Stephanus Wajvoda Transil. Cathol.
fit Siciliæ & Apuliæ Guber. Dux
Croatiae.*

*Nicolaus Kont Wajvoda Transilv.
Cathol. fit Regni Hung. Palatin.*

*Nicolaus Wajvoda Transilv. Cathol.
In Valachia occisus in prælio.*

*Dionysius de Marczal Wajvoda
Transil. Cathol.*

Stepha-

- Stephanus Csáki Wajvoda Tran.Cat.*
Ladislaus Comes de Szolnok Wajvo-
da Transilv. Cathol.
- Stephanus Laczkovicius Wajvoda*
Transilv. Cathol. Jussu Regis Ud-
varhelini in Comitiis occiditur.
- Stiborius Wajvoda Transil. Cathol.*
totius Vagi Dominus.
- Stephanus de Loffoncz Wajvoda*
Transilv. Cathol. In Vălachia oc-
cisus in prælio:
- Ladislaus Comes de Csák Wajvoda*
Transilv. Cathol.
- Joannes Hunniades Wajvoda Trans.*
Cathol. fit Gubernator Hung.
- Emericus Bellusi Wajvoda Transilv.*
Cathol.
- Nicolaus Ujlaki Wajvoda Transilv.*
Cathol. Makoviensis & Sclavo-
niae Banus.
- Michaël szilagyius Wajvoda Trans.*
Cathol. Mathiæ Corvini Avuncu-
lus.
- Joannes Pongracz Wajvoda Trans.*
Cath. Mathiæ Corvini Cognatus.
- Joannes Comes s. Georgii & Bözin*
Waj-

Wajvoda Transilv. Catholicus.

Sigismundus, & *Bertholdus Elderbachius de Monyorokerék* Wajvoda Transylv. Cathol.

Nicolaus Csupor Wajvoda Transilv. Cathol. ad Castrum Nagy-Mihaly occisus.

Joannes & *Nicolaus Bathorei* Wajvoda Transilv. Catholici.

Stephanus Bathorius Wajvoda Trans. Cathol. fit Curiæ Regiæ Judex.

Antonius Sarmasaghi Wajvoda Tran. Cathol.

Radislaus Loffsonczius de Lelesz Wajvoda Transilv. Cathol.

Bartholomaeus Dragfi Wajvoda Tran. Cathol.

Petrus Comes de S. Georgio & *Bózin* Wajv. Transilv. Cathol. Curiæ Regiæ Judex.

Laurentius de Ujlak Dux Sirmii & Bosnæ, Comes Temesiæ. Wajv. Transilv. Cathol.

Joannes Zapolyai Wajvoda Transil. Cathol. fit Rex Hung.

Hieronymus Lascus Polonus Wajv. Transilv.


- Transilv. Cathol. Veneno à Turcis enectus.
- Petrus Perenius* Wajvoda Transilv.
Lutheranus, in Vinculis periit.
- Emericus Cibacus* Wajvoda Transil.
Cathol. interfactus.
- Stephanus Majlatus* Wajvoda Tran.
Cath. in Carcere Turcico periit.
- Emericus Balassius* Wajvoda Transil.
Cathol. in Exilium mittitur.
- Isabella Polona Zapolyæ Regis Vi-
dua.* Princeps Trans. Catholica.
- Georgius Martinusius* Gubernator
Transilv. Præful Varadiensis & S.
R. E. Cardinalis occisus.
- Andreas Bathorius* Wajvoda Transil.
Cathol. resignavit.
- Stephanus Dobo* Wajvoda Transilv.
Cathol. crebros carceres tulit.
- Franciscus Kendius* Wajvoda Transil.
Calvinianus Interfactus.
- Stephanus Zapolyai* alias Joannes Si-
gismundus, Princeps Transil. Ex
Catholico Lutheranus, deinde
Arianus factus.
- Stephanus Bathorius* Princeps Tran.
Cathol.

- Cathol. fit Rex Poloniae.
Christophorus Bathorius Princ. Tran.
Cathol.
Joannes Geczius Gubernator Transf.
Calvin. inopinatò moritur.
Sigismundus Bathorius Princ. Transil.
Cathol. Resignavit.
Andreas Bathorius S. R. E. Cardinalis. Princeps Transilv. Occisus.
Moyses Siculus Princeps Transilv. Ex
Calvin. Arianus. Occisus.
Stephanus Botskajus Princeps Tran.
Calvin.
Sigismundus Rakoczius Gubernator,
deinde Princeps Transilv. Calvin.
Resignavit.
Gabriel Bathorius Princeps Transil.
Calvin. Interfectus.
Andreas Geczius Reiectus, Calvin.
Gabriel Betlenius Prin. Trans. Calvin.
Catharina Brandenburgica Gabrielis
Betlenii Vidua, Prin. Trans. Exau-
thorata. Ex Luth. facta est Cath.
Stephanus Betlenius Princ. Transilv.
Calvin. Deturbatus.
Georgius I. Rakoczius Prin. Tran. Cal.
Geor-

- Georgius II. Rakoczius* Prin. Transil.
Depositus. Ex vulnere accepto
in prælio, obiit. Calvin.
- Franciscus Rakoczius* Princ. Transil.
nominatus. Cathol.
- Franciscus Redajus* Princ. Transilv.
Calvin. Depositus.
- Achatius Barcsajus* Princ. Trans. Ex
Calv. Puritanus. Deposit. & Interf.
- Joannes Keményius* Princ. Transil.
Calvin. In prælio Interfectus.
- Michaël Apafius I.* Prin. Trans. Calv.
- Michaël Apafius II.* Prin. Trans. Cal.
- Michaël Telekius* Gubernator Trans.
Calvin. in prælio occisus.
- Georgius Bánfi* Guber. Trans. Calv.
- Sigismundus Kornis* Gubern. Trans.
Catholicus.
- JOANNES HALLER** Gubernator
Transilvaniæ Catholicus.
Vivat! perennet!

F I N I S.





180 —

876 12 1080

18
AST

11